Universitätsbibliothek Paderborn

# Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas Semper Adest

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

urn:nbn:de:hbz:466:1-52306

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 3086.

J. V.
16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SORTES,
## QVIBVS, NE TEMERE CADANT, TEMPERANDIS; VEL, SI TEMERE DVCVNTVR, CASTIGANDIS,
*DIVINI IVDICII ÆQVITAS SEMPER ADEST.*

AVTHORE
**GEORGIO STENGELIO**
Soc. IESV Theologo.



SORTES MITTVNTVR IN SINVM, SED A DOMINO TEMPERANTVR.
Prov: 16.33.

Societatis Iesu Paderb. Collegii. 1657.

Cum Priuilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.
*INGOLSTADII. An. 1645.*
*Apud* GREGORIVM HÆNLINVM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DN. DN.

# SIGISMVNDO FRANCISCO

*ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIAE, CARNIOLAE, &c. COMITI HABSPVRGI, TYROLIS, & GORITIAE, &c. LANDGRAVIO ALSATIAE, &c.*

PRINCIPI AC DOM. MEO CLEMENT.$^{mo}$

CVm Vtopiam, partum alienum & poſthumum, SERENITATI VESTRÆ dedicarē; tanquam AVGVSTANI EPISCOPATVS POSTVLATO SVCCESSORI, ex officio, ſum gratulatus. Iam hunc alterum, & meū partum eidem conſecro, vt gratuler mihi, qui, prima dedicatione, tam felicem & liberalem Patronum inueni. Nam profectò ſi vllus vnquam Princeps oſtendit, SER.$^{tas}$ V.$^{ra}$ oſtendit, falsè dici illud: *Periculoſum eſſe, ad Principem accedere.* Igitur, ſicut primus liber venerantis fuit, ita alter iſte eſt gratias agentis; quo beneficium à me, non ambiendum, ſed compēſandum oſtendo.

Illo declarandum erat, è montibus petendum fuiſſe Principem, cuius altitudo ſanguinis & virtutis temporum iſtorum periculis opponi poſſet: iſto teſtor, SEREN.tem V.ram, iam in iſtis annis, Parentẽ, in fouenda Societate, nõ imitari, ſed agere; nec pro paruis tantùm magna reponere; ſed etiam dando ſe, quàm habendo feliciorem arbitrari. O indolem in magnas ſpes natam, & Principe dignam! Non niſi excelſæ mentes gloriam ſuam eſſe ducunt, vtilitatem aliorum. Pauci ſunt, qui non putẽt, ſibi omnia deberi, ſe nihil. Plures magna parui, quàm parua magni faciunt. Quod ſi ergo terris contingat, qui viam conſuetudini, non virtuti, contrariam inſiſtat, meritò is, & vtique eſt in acta, & libros referendus.

De Pio II. Pontifice legimus, eum, inter multas virtutes, ac res laude dignas, etiam hoc habuiſſe, vt voluptatem omnẽ, quando à munere publico vacabat, in lectione & ſcriptione frequenti reponeret. Qua de cauſſa libros, *plus quàm ſapphiros & ſmaragdos* amauit, quibus *chryſolitorum magnam copiã ineſſe* dicebat. Macte animo, Princeps; cum Pio

Pio II. ſentit SER.$^{tas}$ V.$^{ra}$, cui libri ſunt theſauri; litterę gēmę: inter quas ipſa Sapphir⁹ eſt & Smaragd⁹, ſi libros ita poteſt æſtimare. Hoc enim pacto, omne tēpus honeſtiſſimis curis implet. Hac ratione, nullam horā perdit. Hoc judicio demōſtrat, ſe ſcire, quàm pretioſa ſit ætas. Hoc modo docet, regere & regi ſe poſſe: quorum neutrum ſine altero SER.$^{tem}$ V.$^{ram}$ deceret. Regere nemo poteſt, qui ſe non ſinit regi, vel lege, vel cōſilio, vel ratione. Præcipitat, qui hæc vult pręcedere, nō ſequi. Aſt vnde de lege, de conſilio, de ratione conſtabit? Viri ſcilicet docti omnia patefacient? Sed habent plerumq; aulæ plures ſapientes, quàm fortes; multi ibi ſunt eruditi, pauci qui nil metuunt. Maluntigitur Principem nō offendere, quàm docere. Et Principum quoque nonnullorū eſt, non quærere quid debeat, ſed quid fieri poſſit. Etſi ergo nō deeſſent multis linguæ, ſi linguis nō deeſſent aures; tamen quia mutire nō audent, omnino fiunt muti. Quid itaq; agendum? adeundi ſunt alij Conſiliarij, qui voce quidem carent, ſed verbis abundāt, & loquuntur ſine

rubore. Tales Conſiliarij ſunt libri, ipſorum Conſiliariorum magiſtri. Felix Princeps, qui libros, amat; amat enim Conſiliarios optimos, veritatis cultores, erubeſcere neſcientes, fontes conſiliorum. Atque hæc eſt altera mihi cauſſa: quia librum affero, ad amatorem librorum, quando hunc Ser.ti V.ræ dedico. Eò ferendæ ſunt merces, vbi æſtimantur. Accedit tertiò, ipſum libri argumentum. Eſt enim de judicijs, quibus Devs Sortes licitas regit, aut illicitas punit. *Sortem* & *hæreditatem* Græci κλῆρον vocant. Vnde *Clerici*, velut *ſors & hæreditas* Domini, nuncupantur; illi ſcilicet, qui, Deo ipſo jubente, diuino cultui conſecrati, procurandæ religionis, & rerum ſacrarum prouidentiam ac ſolicitudinem ſuſceperunt; qui, teſte D. Hieronymo, ep. ad Nepotian. *Propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt.* Cùm autem, ſi non plerumque, ſaltem ſæpiſſimè, hæreditas in plures, *ſorte* diuidatur, juxta illud Pſal. 77. 54. *Sorte diuiſit eis terram*; inde factum eſt, vt hæreditas

tas *ſortis* nomine appellaretur. Maxima laus eſt, SER.me ARCHIDVX, ſiue *de ſorte eſſe Domini*, ſiue *Dominum eſſe ſortem* alicui'. Qui de *ſorte* eſt Domini, diuino cultui conſecratus, religionem, & res ſacras ſe, ex officio, curare profitetur. Magna profeſſio, nobilis cura, officium ſummum. De hac *ſorte*, qui eſt, an librum de SORTE repudiet? Præſertim is, qui verè diceret, quod eſt Sap. 8. 16. *Puer eram ingenioſus*, & *ſortitus* ſum *animam bonam*? De quo vel nulla, vel non niſi ſumma ſpes eſſe poteſt: quia omnis mediocritas infra indolem eſt. Quæ ſe ſe multis indicijs exerit. Nõ poteſt latere, qui ſol eſt, lux illũ prodit. Talis eſt SER.tas V.ra, ſolem imitatur, qui nunquam quieſcit, vt vbique luceat. Vocentur alij ad caſtra; ſtringant ferrum pro patria; capiant vrbes; vincant hoſtes: SER.tas V.ra, in Eccleſia militabit; pro Chriſto & cælo pugnabit; mactabit cupiditates; cõtra Orcũ copias educet; *nec portæ inferi præualebũt aduerſus eam*: &, ſi ſic creſcat, ſtatuet trophæum virtutis, & monumentum generoſitatis: à victorijs tantò illuſtrior, quantò hoſtes iſti, quibus bel-

lum meditatur, ſunt potentiores. Viuax ingenium manus promptas promittit. Et, qui verè ſunt *de ſorte Domini*, neſciunt torpere, more ſtellarum, in cælo, quarum nulla deſidet, nulla otiatur. Hinc & *Dominus erit ſors* SER.tis V.ræ, quæ, dum DEO plus dat, quàm ſibi; viciſſim DEO, non ex deunce, ſed ex aſſe hæres erit. Certa enim fide ſperare futura poteſt, qui poteſt contemnere præſentia. Contemnit autem hæc, qui non dicit cum vanis & profanis illis, Sap. 2. 9. *Vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Quibus quia, ex nomine, & officio ſuo contrarij ſunt *Clerici*, quorum melior pars, meliorque *ſors* eſt *Dominus*; vtique de SORTE libenter legent, nec illibenter meditabuntur. Valeat SER.tas V.ra, & SORTE hac contenta eſſe dignetur. Ingolſtadij. Anno 1645. 4. Non. Ian.

*SER.tis V.ræ.*

*infimus ſeruus*

GEORGIVS STENGELIVS SOC. IESV.

# PRÆFATIO.

SORS & FORS, *velut duæ ſorores, tam arcto ſocietatis vinculo copulantur, vt, ſi quando, apud authores, non ſignificant idem, tamē ſe ſe mutuò trahant, & vbi vna nominatur, altera nō procul abſit. Significat enim vniuerſim & Sors, & Fors fortuitum alicuius rei euentum.* Quid enim ſors eſt? *ait M. Tullius,* idē propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras: quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec conſilium valet. *Et de* FORTE: Fors, *inquit,* in aliquibus reb⁹, plus quàm ratio poteſt. *Sæpe tamen* FORS *à caſu & fortuito alicuius rei euentu in genere ſumpto diſtingui ſolet, atq; idem eſt, quod* Fortuna. *Vnde, apud Cæſarem,* malá Fors, *apud Liuium & Terentium*, bona Fors, *ſeu* Fors Fortuna *reperitur. Cùm autem* Fortuna *non ſit Dea, niſi in fabulis, ſed caſus dūtaxat, & felix aut infelix euentus; perſpicuum eſt, duplici nomine, eandem rē indigitari.* Sortis *quoq; vox aliquando preſsiùs, pro conditione, vice, parte, munere, fatali neceſsitate; aliquando pro judicio ponitur; quando ſcilicet,* ſortes *trahuntur, ducuntur, cōſuluntur, vt,* cùm ſuffragijs tres ex tribus generibus creati ſunt, res reuocatur ad ſortem, *cuius judicio ſtatur. Priore ſenſu illa quæſtio, apud Poëtam, extitit: Qui fiat, vt nemo ſua* ſorte *cōtentus viuat?* *Huic*

Cic. li. 2. de diuinat.

Idem lib. 14. ad Attic.

Cæſar. lib. 8. bell. Gallic. Liu. lib. 1. Terēt. in Hecyra.

Cic. 4. Verrin. Horat. l. 1. Sat. 1.

*Huic quæſtioni, tractatu de* Fortuna, *reſpondi. Quæ quidem tractatio, tanquam genus, etiam* ſortes, *in altero ſenſu, ſub ſe continet; relinquit tamen de* ſortium *judicio alias quæſtiones peculiares. Apud Romanos, non audiebãtur cauſſæ, niſi per* ſortem *ordinatæ. Nã, quo tempore, cauſſæ agebantur, conueniebant, &, ex* ſorte, *dierũ ordinem accipiebent, quo, poſt triceſimũ diem, cauſſas ſuas exequerentur. Quod ſortiendi genus etiam apud milites & belli duces valet: nam ſæpe Duces* ſorte *leguntur, qui primi vrbẽ aut hoſtem inuadant; ſæpe milites teſſeræ & vitæ jacturam faciunt, quando in eos capitaliter animaduertitur.* Cetera multitudo ſorte, decimus quiſque ad ſupplicium lecti, *ait Liuius. Et vtiq; ibi* Sors *&* Fors *putantur ſimul eſſe, quando illa alij craterem, ex vrna, educit aureum; alij, caniculæ jactu, laqueũ mandat. Quod ludendi genus, in caſtris, admodum eſt vſitatũ. Nec ſanè etiam illicitũ. Quia nulli laqueus iniuriã facit, vbi omnes ſuſpendi meruerunt. Sentẽtia judicis, non* ſors *damnat reos: quæ ſi aliquem eximit, non illa, ſed judex vitam donat, ea lege & conditione, quem* ſors *eſt deſignatura. Donaret, ſine præjudicio, etiã ſi conditionem non apponeret. Nulla igitur hîc querela poteſt eſſe contra judicem.*

Seruius lib. 6. Æneid.

Liu. li. 2.

*Poteſt tamen eſſe contra* ſortem, *apud eos,*

*qui* ſorti *nimium tribuunt. Quippe non rarò ſors eſt funeſta illi, qui ipſe minùs fuit funeſtus; & audaces juuat, deſerit miſeratione digniores. Ducitur, qui ephippium clepſit: abſoluitur, qui viginti abegit equos. Ita venia eſt coruis, & columbas cenſura vexat, immo ſtrangulat. Sunt ergo non pauci, qui* ſortem *temeritatis accuſant; nimirum temerarij ipſi in accuſando. Siquidem, quod ignorant, accuſant. Si enim, etiã Poëtis fingentibus, vel apud Inferos,* immenſis vrnam quatit Æacus vmbris, *quantò magis, in hoc mundo,* ſortes mittuntur in ſinum: ſed à Domîno tẽperantur? *vt dicere quiſq; poßit:* In manibus tuis ſortes meæ? *Deus enim ipsũ* ſortis *judicium judicat. Vnde Chaldæus textus ibidem legit:* In ſinum conſilij cadit ſors, & à Deo egreditur judicium eius. *Qui locus varias patitur explicationes. Prima, Bedæ, Hugonis, & Dionyſij, myſtica eſt:* Sortes mittuntur in ſinum, &c. *hoc eſt, ſicut* ſortes, *quàm diu in ſinu, vel vrna ſunt, incertæ ſunt, donec extrahantur, & oſtendant, quid cuiuſq; ſit: ita hominis ſors, in hac vita, adhuc obſcura eſt, & anceps, quoad mors* ſortes *educit, & patefacit electiones prædeſtinatorum. Altera expoſitio ad litterã accedit, & ad lectionem ſeptuaginta interpretum, qui ſic habent.* In ſinum veniunt omnia injuſtis: à Domino autem omnia ju-

Prou. 16. 33.
Pſal. 30.
Prou. 16. 33.

ſta. *Quia igitur* ſortis *nomine frequēter pars, hæreditas, ſubſtātia, opes, fortunæ intelligũtur, ſenſus eſſe poteſt*, ſortes, *diuitiæ, & bona tēporalia impijs, quibus omnia, in hac vita, ex animi ſententia cōtingunt*, mittũtur in ſinũ, *ſed hæc eorũ felicitas haud magni eſt facienda; quia à* Domino omnia juſta; & ſortes *ita tēperantur, vt malis quidē ac injuſtis fortunas, & proſperitatē, bonis autem labores & ærumnas admetiatur; ſed* ſortes *iſtas tam diſsimiles tandē, ad trutinā & æqualitatem, cōponat. Siquidem fluxā huius vitæ beatitudinē, in impijs, æterna calamitate; per breuem miſeriam autē & laborem, in pijs, perpetua felicitate compenſat.*

*Tertia explicatio, & cōmunis, & ad noſtrũ hunc tractatũ maximè pertinēs eſt, de ſortitione; cuius tria poſſunt cōſtitui genera. Sũt enim* ſortes diuinatoriæ, cōſultoriæ, & diuiſoriæ.

S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8.

*Dicũtur autē hæ* ſortes *propriè*, cùm aliquid fit, vt, eius euētu cōſiderato, aliquid occultũ iñoteſcat. *Quare ſi indagetur, judicio ſortiũ*, quid cui ſit exhibendũ; ſiue illud ſit res poſſeſſa, ſiue ſit honor, ſeu dignitas, ſeu pœna, aut actio aliqua, vocatur ſors diuiſoria. Si autem inquiratur, quid agere oporteat, vocatur ſors cōſultoria. Si verò quæratur, quid ſit futurũ, vocatur ſors diuinatoria. *Quæ vltimæ duæ ex inſtitutione Dei, ad eius volunta-*

*luntatem exquirendã, vſitatiſsimæ fuêre, apud Hebræos. Chriſtianos, S. Thomas monet 1. actus hominũ, qui ad* ſortes *requiruntur, non pẽdere à diſpoſitione ſtellarũ, adeoq́ nec* ſortes *inde tẽperari; nec* ſortiũ *judicia inde licitè poſſe peti. 2. Vanè etiã expectari à Fortuna. 3. Deſiderari impiè à cacodæmone. 4. Expectari etiã in quatuor caſibus malè à Deo; ſi ſine vlla neceſsitate, ad* ſortes *recurratur; & adeò Deus tentetur: ſi quis etiã in neceſsitate, abſq; reuerentia Dei,* ſortibus *vtatur: ſi diuina oracula, & ſacræ litteræ, ad terrena negotia conuertantur: ſi in electionibus Eccleſiaſticis, quæ ex Spiritus S. inſpiratione fieri debent, aliqui* ſortibus *vtantur.* Secus autẽ eſt in tẽporalibus dignitatibus, quę ad terrena diſponenda ordinantur, *ait*, in quarũ electione plerumq; homines ſortibus vtuntur; ſicut & in tẽporalium rerũ diuiſione. Si verò neceſſitas iṁineat, licitũ eſt, cũ debita reuerentia ſortibus diuinũ judicium implorare. *Ne quis ergo exiſtimet, aliquã ineſſe* ſortibus *ipſis vim diuinandi, quando videt earum judicio, res certò declarari aut definiri, Salomon ait,* ſortes à Domino tẽperari, *atq; ea propter judiciũ earũ, in prouidentiam diuinam referendũ, cui libet aliquãdo per* ſortes, *rerũ euentus manifeſtare. Non igitur aſtris, non Fortunæ, tribuendum erat, quòd hæc* S. Auguſtin. epiſt. 119.

*potiùs*

potiùs, quàm illa ſors, olim tẽpore Salomonis prodiret, ſed Numinis conſilio & moderationi, ex cuius inſtitutione diuinatoriæ ſortes ſolennes fuêre, quẽadmodũ & conſultoriæ, & diuiſoriæ, vt adeò tunc harũ ſortium judicia, diuinum judicium eſſe crederentur; quod quicunq; habent, non habent cauſſam conquerendi.

At nunquid ſortes ita à Domino tẽperantur, vt omnis ſortitio ex Dei moderatione & diſpoſitione perficiatur? etiã hoc tẽpore? etiam non juſſa? etiã illicita? cuius vſus hoc ipſo ſuaderetur, ſi diceretur, ſpeciali Domini arbitrio prouidentiaq; regi. Videretur enim ſors ea, quæ diuinæ voluntati maximè congrua ſunt, ſemper enunciare. Duplex hîc Dei prouidentia cõſiderandã ſe offert: generalis vna, altera ſpecialis; quarũ ſi non hæc, tamen illa cum rebus omnibus cõiuncta eſt. Generalis vocari ſolet, qua Deus res omnes, juxta naturalium cauſſarũ exigentiã moderatur. Specialis, qua res, ſingulari cõſilio, perficit, & ad finem aliquẽ bonũ inſtituit. Quanquam igitur non ſolùm diabolicæ ſortes, vt Deo aduerſæ, cauẽdæ ſunt; ſed etiã non omnium ſortium licitarũ judicia, ſpeciali Dei cõſilio reguntur; cadunt tamen omnes etiam illicitæ ſortes ſub prouidentiã Dei generalẽ, cuius eſt, totã mundi gubernationẽ diſponere: prædeſtinare: reprobare &c. Cùm igitur ſortes ex ſe temera-

*temerariæ ſint, atq; incertæ, fit vt prouidentia diuina circa eas generalis exiſtat: ſic aleas ad eũ modũ cadere ſinit, quo ipſa jacĕtis man⁹ impulit. Sæpe tamen etiã interuenit prouidĕtia ſpecialis, qua Deus ſortes, ſingulari cõſilio, tĕperat, & nõ euenire permittit, ſicut illæ fortaſſe per ſe caderent, aut manus poſtularet educĕtis, ſed ad bonum ipſe finĕ dirigit, vt vel triſti damno cautiorem, vel felici lucro liberaliorĕ reddat aleatorem; aut etiam à ludo penitus poſthàc abſtinentem.* Luſitanus miles alea ludens ſexcentos aureos amiſerat. Igitur triſtis & inops conſilij auxilijq; ad Franciſcum (*Xaueriũ*) cõfugit. Tum ille ex veneno ipſo medicinã morbi petendam ratus, aleam ab eo poſcit: ſuaq; manu permiſtam reddens repetere ludũ jubet, eo, quod reliquũ ludus fecerat, amiſſa recuperaturum. Nõ fefellit. Repĕtè mutata cum auctore ludi ſors: & miles ſecundo vſus ludo cuncta recuperauit. Suo recepto: ludere pergentem Franciſcus inhibuit, nec miles abnuit, ſed beneficij memor ſalubribus eius præceptis impensè paruit. Quin etiam vltro promiſit, ſe in poſterum nunquam alea luſurum: & extitit promiſſi fides: ex eo tempore aleam in manus ſumere ſuſtinuit nunquam: tantùm illius ludi odium eum ceperat, auctore Xauerio.

Horat. Turſellin. lib. 6. c. 2. de vita S. Franciſc. Xauerij.

*Quis*

*Quis, in hac alea, manum Dei non agnoſcat? ſicut & in altero ludo, quo Lutetiæ, Doctoris egregij animam lucratus eſt S. Ignatius Loyola. Nam cùm eius ludi nec conſuetudinem haberet, nec artem; inſtante tamen, & vrgente, & pertinaciter efflagitante Doctore, in luſum tandem, ſed ſerium, conſenſit Ignatius; itáque feliciter globulum ludentis in menſæ, ludentem autem ipſum in pœnitentiæ ſaccum coniecit, vt, qui aderat, identidem diceret:* Domine Doctor, digitus Dei eſt hîc. *En digitum, en manum Dei ludentis in orbe terrarum. Quamobrem etſi* ſortes *temerariæ ſint ex ſe, ac dubiæ, juſtas tamen habet cauſſas diuina ſapientia, cur eas vel infeliciter ſubinde proſperas eſſe velit, vel feliciter infortunatas. Itaque ſpeciali prouidentia illas regit, vt iam in eis, à parte rei, non ſit temeritas, ſed conſilium & ordo. Qua de cauſſa dicuntur* à Domino temperari: *& in Hebraico textu: à Domino judicium earum. Hæc, qui perpendet, nulla alia regula indigebit, vt ſciat, quibus* ſortibus, *& quatenus, & quomodo ſit vtendum, vel abſtinendum; itemq́; nullum non ſuâ* ſorte *cõtentum eſſe oportere.*

Pêtr. Ribad. de vita S. Ignat. l. 5. c. 10.

SORTES,

SORTES,

# QVIBVS, NE TEMERE CADANT, TEMPERANDIS; VEL, ſi temerè ducuntur, caſtigandis

## *DIVINI IVDICII ÆQVITAS ſemper adeſt.*

## CAPVT I.

### *De Varietate Sortium & Sortientium.*

### §. I.

*Sortium deſcriptio, & genera.*

INter improuiſos fortuitóſque euentus atq; humanos *Caſus*, *Sortes* numerantur. *Sortis euentus*, ait S. Ambroſius, *non in noſtra eſt poteſtate, ſed quem caſus, attulerit.* Hæ *Sortes* quid ſint, & à quibus, vel benè, vel malè vſurpentur, & quo Dei iudicio cadant, dicendum eſt. Etſi enim videntur temerè contingere, quæ contingunt ſortitò; attamen diuina Prouidentia & æquitas neque in his deeſt. Quod agnouit, qui dixit: *In manibus tuis ſortes meæ.* Et, D. Auguſtino teſte, *Sors* (ſua natura) *aliquid mali non eſt, ſed res,* in hu-

S. Ambr. lib. 3. de viduis. p. 3.

Pſal. 30. 16.

S. Auguſtin. in

Pſal. 30. *in humana dubitatione, diuinam indicans voluntatem.* *Sortium* porrò nomine intelliguntur plerumque ea, quæ conijciuntur in vrnam, & inde, in electionibus, aut quibuſuis deliberationibus, extrahi ſolent; ſiue ſint teſſeræ, ſiue chartulæ; ſiue albæ & nigræ fabæ, quæ veteribus vſitatiſſimæ fuerunt; ſicut & niuei atríque lapilli; ſiue litteræ alphabeti; ſiue bacilli, ſiue oſcilla, ſiue tali, ſiue calculi ἄτρητοι, vel τετρημένοι; ſiue pilulæ aut globuli aurati vel argentei, vt apud Venetos: ſiue lanei, vt apud Genuenſes; ſiue tabellæ, ſiue lamellæ tenues; ſiue teſtaceæ, aut teſtulæ, ſiue aliud quid ſimile, vt poſtea oſtendam. Hebræis *Sors Phur* dicitur à cadendo, eò quòd *Sors*, in vrnam coniecta cadat, vnde *caſui* attribuitur. Harum rerum vſus *ſortitio*, ſeu *ſors* formaliter ſolet appellari. Vſitatiùs *Sors*, in vrnam mittitur. Neque tamen vrnâ ſemper opus eſt. Cicero meminit *ſortium* coniectarum in hydriam: Plautus in ſitulam: Homerus in galeam, vti & Virgilius: quamuis hic etiam in vrnam; Genuenſes in diſtinctas eiuſdem vrnæ velut fiſtulas conijciunt. Alij in pileos, ſacculos, ciſtas, librorum paginas, ſeu ſchedas, ſeu alia imponunt.

[Margin notes: Petrus Gregor. Toloſ. l. 34. ſyntag c. 5. — Eſther. 9. 26. — Cic. Act. 4. in Verr. — Plautus in Caſina. — Homer. Iliad. 8. — Virgil. 5. & 6. Æneid.]

ponunt. Alij nihil ex vrna, aut galea &c. extrahunt, ſed libros aperiunt, & obuias ſibi ſententias conſulunt. Nummos, cultros, bacillos alij in altum aërem proijciunt, & quæ pars prona, quæ ſupina ceciderit, diſpiciunt. Milites frequenter, cùm de ſtatione, vel vita ac reſti agitur, aſtragalis ludunt, ſuper tympano.

§ II.

*Regum eligendorum, vrbium oppugnandarum, aliorumq; negotiorum ſorte ſuſcipiendorum, alij modi.*

Notum illud Iuſtini, de eo in regem eligendo, cuius in forum venientis equus priùs hinnijſſet. Sortis id loco erat. Sed ſotem eluſit, qui hinnitum arte procurauit, equo pridie in forum, ad equam adducto, cui poſtridie iam aſſuetus amator adhinniret. *Veneti hodie*, ait Henricus Salmuth, *ſi quid agendum eſt, ita ſortitionem efficiunt. Veluti ſi fingamus, in ſenatu de ratione belli agendum eſſe, neque inter Senatores conuenire, ad cuius vrbis expugnationem primùm debeat deduci exercitus (quod accidit temporibus Michaëlis Trigeſimi quinti Venetorum Ducis. Hadrian. Barlan. de Ducib. Venet.) ad diuinas Sortes recurrendum ducunt. Nomina quidem* Henric. Salmuth in Guidõ. Panciról. cap. de Fibula. poſt Claudiũ Coteræum, de Iure Militum.

lib.3. c. 8. *expugnandarum vrbium in vrnulam conijciuntur : ea rudis quiſpiam puerulus manu miſcet : inde vnam, è chartulis, quæ ſingulæ ſingularum vrbium nomina continent, ad Principes defert, ab eáq; oppugnanda bellum inchoari debet. Memorabile* etiam idem author refert, *illud Sortitionis genus, quo Athletæ olim ad pugnandum ducebantur. Nam calculis in vrnam coniectis, binæ compares litteræ inſcribebantur: quiq; eductis ſortibus pares ſortiti erant, inuicem cõmittebantur.* Nicetas Choniata ritum ſortitionis, in Regijs comitijs, talem commemorat: *Cum Imperator creandus eſſet, in ædem SS. Apoſtolorum deliberandi ergò conuenêre, ac principio, patrio quodam ritu, pro numero candidatorum, quatuor calices ordine collocare inſtituerunt, quorum vnus incruentã victimam contineret, ceteris vacuis: eóſq; tradere totidem ſacerdotibus, vt ad cuiusq; principis nomen vnũ tollerent, & eis redderent. Imperium verò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepiſſet, in quo diuinum corpus & ſanguis Chriſti eſſet.* De Germanis ait Tacitus: *Sortium conſuetudo, ſimplex, virgam fructiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant: eóſq; notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temerè ac fortuitò ſpar-*

Nicet. in lib. de rebus, poſt expugnatam vrbẽ, geſtis.

Tacit. lib. de morib. German.

*ſpargunt, mox, ſi publicè conſulatur, ſacerdos ciuitatis; ſin priuatim, ipſe paterfamiliæ precatus Deos, cœlúmq; ſuſpiciens ter ſingulos tollit, ſublatos, ſecundùm impreſſam antè notam, interpretatur.* Sinis hodie propè ſimilis eſt diuinatio duorum lignorũ æqualium, quam deſcribit Gunzalinus Mendozius, nec non Philippinenſium, ſeu Luſanorum, in India, teſte Martino Ignatio. Hoc pacto, apud Ezechielem, ſuperſtitiosè Nabuchodonoſor, non Dei, ſed ſuo, vel mali genij inſtinctu, omen captauit, dubius Ammonitáſne, an Iudæos inuadere deberet. Nam, vt infra pluribus dicam, ſumens duas ſagittas, vni inſcripſit nomen Rabbath (quæ erat petra Arabiæ, metropolis Ammonitarum) alteri nomen Ieruſalem: eas deinde commiſcuit: mox vnam, clauſis oculis, ac cæcè eduxit, cui inſcriptum videns, *Ieruſalem*, ſtatim contra eam perrexit. In ſumma, tot genera ſunt *Sortium*, quot placita voluntatum.

**Gunzalin. Mendoz. l. 2. Hiſtor. Chin. c. 4.**
**Martin. Ign. Itinerarij. cap. 8.**
**Ezech. 21. 21.**

## §. III.

*Quinam homines, aut quæ gentes ſortes vſurparint? ſiue apud profanos, ſiue apud ſacros ſcriptores? idq; ſiue licitè, ſiue illicitè.*

His ergo atque alijs talibus Sortibus di-
uerſi vſi; ſiue Ethnici, ſiue Iudæi, ſiue Chri-
ſtiani; & omnis ferè natio, AEgyptij, Ba-
bylonij, Græci, Latini, Hebræi, Itali, Hiſpa-
ni, Germani, &c. De AEgyptijs conſtat,
quos quiſque coleret agros, viritim inter
Cap. 21. ſe *ſortibus* diuiſiſſe. *Sorte* etiam vſum regem
19. Babylonis Ezechiel teſtatur. Qua etiam vſi
Ion. 1. 7. ſunt Gentiles illi, quibuſcum Ionas naui-
gans eiectus eſt in mare. Item Auguſtus,
Tiberius, Attalus rex Pergami. Apud Græ-
cos colonias *ſortibus* deducebant. Quam-
obrem coloni κληρῦχοι dicebantur. Iudices
in Areopago, varijs in vrnam coniectis lit-
teris, ſortiebantur, vt docet ex Demoſthe-
Car. Si- ne & Scholiaſte Ariſtophanis Sigonius. Tul-
gon. l. 3. lius refert, legem Syracuſis fuiſſe, quæ Io-
de Rep. uis ſacerdotem in annos ſingulos *capi ſortitò*
Athen. iuberet; licet Dion Halicarnaſſeus contra-
Cic Act. riam legem recitet, cauentem, *ſorte, aut*
4. in Verr. *precio deligi ſacerdotem.* De Dionyſio Syra-
Dionyſ. cuſano Plutarchus ſcribit, eum augurium
Hal. lib. cepiſſe Monarchiæ, ex littera M. quæ ipſi
2. hiſt. obtigerat. Apud Lacedæmonios, Athletæ
Rom. *ſorte* educebantur ad pugnandum; ne aut
Plutarch. ſuſpicioni locus eſſet maleuolentiæ; aut alij
in Apo- illis gloriæ occaſionem inuiderent. De Ro-
pht. Lu- manis
cianus in
Hemoti-

manis Tacitus ſcribit, eos magiſtratus, le- mo.
gationes, ac præfecturas ſortitos eſſe, ne Tacit. l.
ambitioni, aut inimicitijs locus foret. Li- 10. Sigon.
uius ait: *apud Romanos, de loco, & ordine ag-* l. 2. de
*minis, duces ſorte definiebantur*: vtique pro- iudic. c.
pter eandem cauſſam. Apud Hebræos ſor- 12. Liuius
tium vſum fuiſſe ſacræ litteræ teſtantur. Nã Dec. 3.
& hircus immolandus *ſorte* electus eſt. *Duos* Leuit. 16.
*hircos ſtare faciet, coram Domino, in oſtio ta-* 8.
*bernaculi teſtimonij, mitténsq; ſuper vtrumq;*
*ſortem, vnam Domino, & alteram capro e-* Num. 17.
*miſſario; cuius exierit ſors, Domino offeret il-* 2.
*lum pro peccato: cuius autem in caprum emiſ-* Ioſue. 7.
*ſarium, ſtatuet eum viuum coram Domino, vt* 16.
*fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſoli-* 1. Reg. 14. 42.
*tudinem. Sorte* Aaron alijs prælatus. *Sorte* 1. Reg. 10. 20.
deprehenſus Achan & Ionathas. *Sorte* Saul Num. 26.
creatus rex. *Sorte* terra Promiſſionis inter 55.
Hebræos partita. *Sorte* obita ſacerdotalia 1. Paral.
munera. *Cum ſacerdotio fungeretur Zachari-* 24. 5. 7. 31.
*as in ordine vicis ſuæ, ante Deum, ſecundùm* Luc. 2.
*conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt, vt incen-*
*ſum poneret.* Nam inter ſacerdotes *Sors* ia-
cta eſt, quis ſuffiret, aut thus incenderet.
Cum enim plures eſſent eiuſdem familiæ ſa-
cerdotes, qui eadem hebdomade, in templo,
ſacerdotio fungerentur, & vnus duntaxat

adolere thus poſſet, ſortitione exploratum eſt, quem eorum, vno die, quem altero; aut quem manè, quem veſpere facere id oporteret. Ita Euangeliũ narrat. Quid quòd, cum Iudæ ſubrogandus eſſet Apoſtolus, Apoſtoli reliqui *ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus: & Matthiam* &c. *Et dederunt Sortes eis; & cecidit Sors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis?* *Sortibus* rem geſtam teſtatur Lucas, vt electionem Matthiæ diuinitꝰ prouiſam factámq; ſignificet.

Actor. 1. 23.

## §. IV.

*Multos pios, piè imitatos eſſe factum Apoſtolorum Matthiam Sorte eligentium: & cur Apoſtoli Matthiam elegerint Sorte?*

Quod Apoſtoli auſi ſunt, fecerunt etiam multi boni Chriſtiani, qui ab Apoſtolis deſcenderunt. Quippe nonnulli ſanctiſſimi viri, Dei circa ſe voluntatem, ſacræ Scripturæ, diuiníque Codicis, veluti fortuita apertione, ſcrutati ſunt; & inuenerunt, quod quæſiuerunt. Plurimi ex alicuius ſententiæ auditione, rectè vel ominati ſunt, vel vitam inſtituerunt; vt dubitari non poſſit, omnino diuinum iudicium interceſſiſſe, ſicut,

ante

ante Originem & Auguſtinũ, docuit D. Dionyſius de Matthiæ electione ita loquens: *De illa ſorte diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit, alij quidam alia ſensêre, meo iudicio, non rectè: aperiam autem & ipſe, quid ſentiam. Videtur mihi ſcriptura ſortem apellaſſe diuini quiddam & præcipui muneris, per quam illi choro ſacratiſsimo inſinuaretur, qui eſſet diuina electione declaratus.* Quibus ſubiungit, ob reuerentiam, permiſiſſe Apoſtolos, non iudicio ſuo, ſed Deo ipſi electionem. Sunt ergo *ſortes* quędam humana manu proiectę, ſed diuina directæ. Quid multa? *Sortes mittuntur in ſinum; ſed à Domino temperantur,* aliquando in hominibus ad certa officia eligendis; aliquando ad frugem meliorem reuocandis; aliquando in aſciſcendis Diuis tutelaribus, aut alijs negotijs dirigendis.

Orig. hõ. 23. in Ioſ. Aug. in Pſal. 30. conc. 2. S. Dionyſ. c. 5. Eccleſ. hierarch. part. 3.

Prou. 16. v. vlt.

§. V.

*S. Baſilius de vitæ duce ſolicitus, Euangelij de venditione bonorum, velut ſortiaria lectitione, ad perfectionem directus.*

Verùm videamus etiam conuerſionum exempla. S. Baſilius de ſe ipſo ſcribit ſequentia: *Ego, cum multum temporis, in vanitate, conſumpſiſſem, & totam fermè iuuentutem*

S. Baſil. ep. 78. ad Euſtathium Sebaſtæ Epiſc.

in vano labore perdidiſſem, quem in diſciplinarum ſapientiæ à Deo infatuatæ perceptione conuerſatus inſumpſi, poſtquã aliquando, velut ex ſomno profundo expergefact⁹, ad admirandam veritatis Euangelij lucem reſpexi, & inutilitatem ſapientiæ principũ huius ſæculi exoletorum conſpexi: miſerabili vita mea multùm deplorata, optabam mihi dari manuductorem ad introductionem, ad dogmata veritatis. Et præ omnibus ſanè multam curam adhibebam, vt correctionem aliquam morum facerem, multo iam tempore ex malorum conuerſatione corruptorum. Itaq; vbi legiſſem Euangelium, & vidiſſem illic maximam occaſionem ad perfectionem, venditionem bonorum, & diſtributionem in indigos fratres, & in ſumma nullam huius vitæ curam habere, & à nulla affectione ad vitæ res animam conuerti: optabam inuenire aliquem fratrem, qui hanc vitæ viam elegiſſet, vt vnà cum ipſo hanc profundam vitæ inundationem penetrarem. Et ſanè multos inuenimus in Alexandria, multos etiam per reliquam Ægyptum. Et alios in Palæſtina cauâq; Syria ac Meſopotamia. Quorum quidem admirati ſumus circa victum abſtinentiam, admirati ſumus item tolerantiam in laboribus, conſternauit me etiam ipſorum in orationibus intentio, & quomodo ſom-

*ſomnum ſuperabant, & à nulla naturali neceſſitate inflectebantur, altam ſemper & nulli ſeruituti obnoxiam animi conſtantiam conſeruantes, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, non corporis curæ intenti, neq; ſuſtinentes vt aliquam ipſi curam impenderent, ſed velut in aliena carne degentes, opere commonſtrârunt, quid ſit cohabitare rebus in hac vita, & quid conuerſationem habere in cælo. Illa admiratus, & beatâ prædicatâ virorũ vitâ, qui opere oſtendunt, mortificationem Ieſu in corpore ſe circumferre, optabam etiam quantum eius à me fieri poſſet, illorum virorum imitator eſſe.*

## §. VI.

*S. Auguſtinus fluctuans, fortuita apertione Epiſtolarum S. Pauli, & S. Antonius Euangelij lectione improuiſa, conuerſi.*

Quod Baſilio accidit, etiam Auguſtino, & quidem luculentiùs euenit, ab Alipio ſecedenti, ac lachrymis ſuis, animíque luctæ, ſolitudinem petenti. *Ego*, inquit, *ſub quadam fici arbore, ſtraui me, neſcio quomodo, &* S. Aug. l. 8. Confeſſ. cap. 12.
*dimiſi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum. Et non quidem his verbis, ſed in hac ſententia, multa dixi tibi: Et tu Domine, vſ-* Pſal. 6.

*que*

Pſal. 12. quequo? Uſquequo, Domine, iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarũ. Pſal. 78. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miſerabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modò? quare non, hac hora, finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amariſsima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & crebrò repetentis, quaſi pueri, an puellæ, neſcio: Tolle lege, tolle lege: ſtatimq; mutato vultu, intentiſsimus cogitare cœpi, vtrũnam ſolerent pueri, in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino, audiuiſſe me vſpiam. Repreſſóq; impetu lachrymarum, ſurrexi nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, niſi vt aperirem codicem & legerem, quod primum capitulum inueniſſem. Audieram enim de Antonio, quòd ex Euagelica lectione cui fortè ſuperuenerat, admonitus fuerit, tanquam ſibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me: & tali oraculo confeſtim ad te eſſe conuerſum. Itaq; concitus redij ad eum locum, vbi ſedebat Alipius: ibi enim poſueram codicem Apoſtoli, cum inde ſurrexeram. Arripui, aperui, & legi in ſilentio capitulum, quo pri-

*primùm coniecti ſunt oculi mei. Non in comeſ-* Rom. 13.
*ſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum IESVM Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum, interiecto aut digito, aut neſcio quo alio ſigno, codicem clauſi, & tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille quid in ſe ageretur, quod ego neſciebam, ſic indicauit: Petit videre quid legiſſem. Oſtendi, & attendit etiam vltra quàm ego legeram, & ignorabam quid ſequeretur. Sequebatur* Rom. 14.
*verò: Infirmum autem in fide aſſumite. Quod ille ad ſe retulit, mihiq́ aperuit. Sed tali admonitione firmatus eſt, placitóq; ac propoſito bono, & congruentiſſimo ſuis moribus, quibus à me in melius iam olim valde, longéq; diſtabat, ſine vlla turbulenta cunctatione, coniunctus eſt. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet; narramus qemadmodum geſtum ſit, exultat & triumphat, & benedicit tibi, qui potens es, vltra quàm petimus aut intelligimus, facere, quia tanto amplius ſibi à te conceſſum de me videbat, quàm petere ſolebat miſerabilibus eiius, fle-*

*us, flebilibúſq; gemitibus. Conuertiſti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſeculi huius, ſtans, in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertiſti luctum eius in gaudium multò vberiùs, quàm voluerat, & multò chariùs atq; caſtiùs, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat.* Auguſtini & Alipij hæc *ſors* fuit, quam multi imitantur; qui, turbato cum ſunt animo, & fluctuante, Thomæ de Kempis libellum aperiunt, aiúntque, ſe ſemper ſolatium reperire, & idoneum vulneri ſuo emplaſtrum.

## §. VII.

*S. Ignatius Loyola, itidem inopinata librorum lectione, ad meliora ductus.*

Petr. Ribaden. l. 1. c. c. 2. de vita S. Ignatij Loiolæ.

Si non *ſors*, certè *fors* fuit; incidiſſe in pios libros Ignatium Patriarcham noſtrum. Nam *cum in lecto iacere cogeretur, eſſétq; in profanis libris legendis multùm temporis collocare ſolitus, aliquem eiuſmodi librum ſibi ad manum dari iuſſit, vt eius lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus; domi eiuſmodi eſſe libros, duos Hiſpanica lingua ſcriptos accepit, ne prorſus otioſus eſſet, quorum alter Chriſti, Saluatoris noſtri, alter Sanctorum vitas continebat. Atq; horum quidem librorum lectione,*

*ctione, ſenſim eius animus immutari, & imitandi, quæ legebat, ſtudio quodam affici videbatur.* Hoc initium fuit conuertendi illius militis, à quo tot conuerſionum milliones pependerunt. Librum petijt: profanum optauit: ſacrum ſortitus eſt. inde didicit ſapere, vnde alios ſapere doceret. Sed & ſanctos tutelares *ſorte* eductos non minùs vtiliter, quàm piè, legimus.

## §. VIII.

### *Menſtruorum Sanctorum ſortitio à B. Franciſco Borgia primò in Societatem IESV, inde in Sodalitates Marianas introducta.*

*Erat ſolenne familiæ Borgiæ, vetere inſtituto, vt è Diuorum numero aliquem quotannis ſorte duceret. Seruabat religioſè hunc morem puer etiam tum Franciſcus* (Borgia) *quem etiam in Societatem induxit, priùs, quàm familiam ducere cæpit. Diui nomen cui obueniſſet, is, profeſto die, duos mendicos vicatim collectos alebat; feſto verò, binis bini mares, fœminis fœminæ, ad menſam miniſtrabant. Ex hoc fonte manauit pia ſolenniſq; Societatis cõſuetudo, vt, ſingulis menſibus, Sanctorum nomina ſortè è ſitula educantur diſtribuantúrque ſingulatim. Quo die votis conceptis, religioſéq; perſolutis opem*

Andreas Schottus l. 1. vitæ B. Franciſc. Borgiæ, c. 1. Idem lib. 4. c. 4.

*pem ſui quiq; Diui implorant. Didicerat id in gentilicia Borgiæ familia Franciſcus. Ognati quoq; idem ſeruauit; multa Socijs indulgens, quo die Diui nomen ſorte illis obtigiſſet: ipſe ad hæc precationi plus etiam temporis tribuere ſolitus.* A Societate hic ſortiendi mos in B. Virginis Sodalitates, atq; inde in alias aliásq;, magno cum fructu, eſt propagatus. Multi è paruis ſchedis magna extirpare vitia, egregiáſque exercere virtutes, Sanctóſque peculiaribus colere honoribus didicerunt. Sed aſſuetudo quoſdam facit negligentes. Alios ignorantia vtendi tanto fructu priuat. Si tollerent ignorantiam Exhortatores aut Concionatores, extinctis vtique impijs ſortilegijs, ſortes bonas inducerent, cultúmq; Diuorum longè latéque propagarent.

§. IX.

*Candelæ diutiùs ardentis ſorte primus Arragonũ rex IACOBVS eſt appellatus; quem pium modum impiè, & ſuperſtitiosè imitantur aniculæ, in diuturniore prolium vita diuinanda.*

Leonar. Mayr in Calend. B Virg.

De alia Sancti patroni ſortitione memorant, quam hîc non omittam interſerere. Anno 1208. ſacro baptiſmate tinctus eſt primus Arragoniæ rex Iacobus, cuius mater,

ter, cum dubia eſſet, quonam Apoſtolorum 4. Febr.
nomine filium ſuum deberet inſignire, conſilium cepit, ſorti iudicium vel indicium permittere. Duodecim itaque curauit cereos fundi æquali pondere & magnitudine. Singulis cereis, alicuius Apoſtoli nomen inſcripſit, vel in ſchedâ adiecit. Eos omnes pariter in honorem Apoſtolorum accendi iuſſit, addita conditione, vt cuius Apoſtoli cereus diutiùs arſurus eſſet, eius nomen filius ſortiretur. Diutiùs arſit cereus Iacobi. Indicatum eſt igitur, ex Dei voluntate, vocandum eſſe Iacobum. Quod & factum eſt: neque ſine emolumento. Nam hic poſtea Iacobus & regnum Hiſpaniæ, & religionem Catholicam, & honorem D. Iacobi mirificè propagauit. Plauſum tulit fructúmque hic modus ſortiendi: quia nullum periculum erat, quicunq; Apoſtolus in patronum eligeretur. Quare eo ſuperſtitionem ſuam tueri non poſſunt ſtultæ illæ mulierculæ, quæ, in die Fidelium animarum, tot cereos accendunt, quot liberos habent, eámq; prolem, cuius cereus citiùs abſumitur, ſibi perſuadent citiùs morituram; quaſi Deus, qui vult hominibus horam mortis eſſe incertam, illam cereis reuelaret. Sed re-

ctè eiuſcemodi matres ſua curioſitas plectit, ſemper enim poſtea anxiè metuunt, quod ſuperſtitioſè crediderunt.

## §. X.

*Apoſtolorum patrocinium, ſortiendi exemplum, & antiquitas, in S. Andrea Apoſtolo repudiato quidem, & tamen propitio.*

Iſtam porrò Sanctos ſortiendi conſuetudinem non nouam eſſe, docetur eo argumento, quia ante annos plus, quàm quadringentos, eius conſuetudinis meminit Bernardi æqualis, & ex eodem ordine, Cæſarius Heiſterbachienſis, cuius hæc ſunt. *Conſuetudo eſt maximè prouinciæ noſtræ matronis, vt tali ſorte ſpecialem ſibi Apoſtolum eligant. In duodecim candelis duodecim Apoſtolorum nomina, ſingula in ſingulis ſcribuntur, quæ à ſacerdote benedictæ altari ſimul imponuntur. Accedens verò femina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus ceteris & honoris, & obſequij impendit. In hunc modum cum quadam matrona S. Andream extraxiſſet, & non ei placuiſſet, repoſitâ candelâ, alium habere voluit, ſed iterum idem occurrit. Quid plura? tandem traxit ſibi placentem, cui cum multum exhibuiſſet obſequij, per omnes dies vitæ, & ad extremæ*

Cæſar. lib. 8. Mirac. c. 56.

*trema perueniens eſſet moritura, non illum, ſed B. Andream ſibi aßiſtere vidit. En, inquit, ego ſum ille deſpectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnunquam Sancti etiam vltro ſe ingerant humanæ deuotioni.* Quod cur faciant, etſi inter arcana Dei ſit habendum, tamen etiam bonitati eorum adſcribi poteſt, vt qui vel ſpernentes ſe, non ſpernant, immo benefacere his, qui oderunt illos, poſſint. Quanto autem magis diligẽtes ſe diligent, & cultoribus ſuis patrocinabuntur? Neque præiudicium fit alijs, ſi vnus altero colatur impenſiùs; non enim idcirco hic ſanctior, aut ille impotentior cenſetur, in adminiculando; ſed cum vniuerſim omnes, tanquam *nimis honorati amici Dei*, tum in Litanijs, tum in alijs precibus inuocentur; vnus eligitur alterue ab hoc, alius ab alio, vt etiam peculiariter colantur, perq; hunc peculiarem affectum Mundo magis innoteſcant. Cum autem etiam in magnis aulis aut conuiuijs, etſi omnes ſerui conuiuis omnibus honorem exhibeant, tamen alius huic, alij alius aſtare ſeruiréque iubeatur; cur nõ & diuina ſapientia Sanctis ſuis prouideat ſeruos & ſeruis Sanctos peculiares? Immo prouidet. Hinc vel ab ipſis Sanctis

Sancti aliqui præcipuo amore atque honore culti fuêre, Sic culti ſunt, à Baſilio & fratre Nyſſeno, Martyres quadraginta; itémque Theodorus. Sic cultus eſt à Chryſoſtomo Paulus, ab Auguſtino Stephanus, à Gregorio Andreas, ab alijs alij. Neque putandum eſt, eſſe inter Sanctos æmulationem; nullus alteri inuidet; nullus exiſtimat, ſe iniuria affici, quando alter honoratur. Alioqui etiam Eccleſia nullam auderet orationem ad D. Martinũ fundere, ne D. Georgius offenderetur; aut, cùm S. Nicolai feſtum celebrat, metuendum eſſet, ne S. Dionyſius læderetur. Certè multi beneficio obſtricti videntur, vt vnum Sanctum præ alio venerentur. Cur enim S. Benedictum PP: Benedictini, S. Bernardum Bernardini, S. Franciſcum Franciſcani, S. Dominicum Dominicani, S. Norbertum Norbertini, & qui S. Ignatij inſtituta ſequuntur, S. Ignatium peculiaribus obſequijs nó venerarentur? Colit quiſque ducem ſuum, eumque meritò cenſet honorandum, quem ei Deus dedit imitandum. Dare autem ſolet, non modò per vocationem, ſed etiam per ſortem.

§. XI.

## §. XI.

### *S. Eliſabethæ in S. Ioanne Apoſtolo, & aliorum in alijs Apoſtolis, patronorum loco, ſortiendis, modi.*

Cuius rei exemplum, in vita quoque S. Eliſabethæ, quæ poſtea Landtgrauii fuit vxor, legimus. Illa *D. Ioannem Apoſtolum, præter ceteros, charum, ſibi, patroni loco, delegerat, imitata pietatem Chriſtianorum* (*vt* refert Iacobus Montanus Spirenſis) *quibus ſingulatim eligere aliquem è cœtu Apoſtolico, quem familiariùs clientum more colant, conſuetudo eſt. Ne tamen electionis euentu* (*vt aſſolet*) *incerto, quia ſorte agebatur, alium, quàm Ioannem nanciſceretur, præmiſſa ad Deum prece, effecit, vt quem ſummopere volebat, ſemel iterúmq; ac tertiò ſortiretur. Cuius voti compos effecta, adeò dilexit coluitq; adeptum, vt ob ipſius nomen meritumúe rogantibus, nihil denegandum putaret.* Eſt in hoc exemplo affectus erga Sanctum, Suffragium *Sortis*, & preces à Deo impetrantes, vt *Sortes* temperaret; qua in re multi hodiéque ſunt pij imitatores, dummodo aſſuetudo non minuat pietatem. Refert, in nondum edito libro, Abbas Anhuſanus alios duos ſortiendorum Sanctorum

Surius 19. Nouemb.

Carolus Abbas Anhuſa.

nus. part. 1. ſtématis Chriſti. die 24. Febr.

modos, Primus eſt, vt in latioris rotæ curuatura, ſeu orbe, Apoſtolorum, aliorúmue Diuorum nomina ſcribantur, ac vnicuique nominum ſuus affigatur funiculus, extra rotam, eminens: Cuius ergo Sancti funiculus, impulſa in celerem circuitum rota, manu apprehenditur, is poſtea aſſumitur in cultum peculiarem. Alter eligendi, per ſortis modum, ritus eſt, vt nomina Apoſtolorum (aut aliorum cœlitum) ſub diuerſis patinis, aut vaſis temerè diſponantur. Eum ergo Diuum, cuius quiſq; nomē, ſublata patina, aut vaſe, reperit, colit, præ ceteris, tanquam patronum ſibi à Deo deſtinatum.

## §. XII.

*Sors à cantu fortuito, atque à cerua, & belli, & vadi, diuinitus Clodoueo data.*

Gregor. Turon. l. 2. hiſt. Francor. cap. 37.

Poſſunt & alij diuinæ voluntatis explorandæ modi inter *Sortes* computari, qualis fuit ille, quem Gregorius Turonenſis recenſet his verbis: *Chlodoueus rex ait ſuis: Valde moleſtè fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, &, ſuperatis, redigamus terram in ditionem noſtram. Cúmq; placuiſſet omnibus hic ſermo, commoto exercitu, Pictauos dirigit.* Et paulò

lò pòſt: *Ipſe verò rex direxit nuncios ad Beatam Baſilicam* (S. Martini) *dicens: Ite: & forſitan aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſancta ſuſcipietis. Tunc, datis muneribus, quæ loco ſancto exhiberent, ait, Si tu, Domine, adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, ſempérq; æmulam tibi meis manibꝰ tradere decreuiſti, in ingreſſu Baſilicæ S. Martini, dignare propitius reuelare, vt cognoſcam, quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium regis, dum Sanctam ingrederentur Baſilicam, hanc Antiphonam ex improuiſo primicerius, qui erat, incæpit: Præcinxiſti me, Domine, virtute ad bellum: ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti. Quod ſatellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota B. Confeſſori promittentes læti nunciauerunt regi. Porrò ille cum ad fluuiū Vigennam cum exercitu aduenissſet, per quem locum tranſire deberet, penitus ignorabat, intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmq; illa nocte Dominum deprecatus fuiſſet, vt ei vadum, quo tranſire poſſet, dignaretur oſtendere, manè facto, cerua miræ magnitudinis, ante eos, nutu Dei, flu-*

*men ingreditur, illáq; vadante, populus, qua tranſire poſſet, agnouit. Sortis* loco, regi fuit vox, ſub ingreſſum legatorum, in templo excepta victoriæ nuncia; & cerua ductrix.

## §. XIII.

*Sors viæ captæ, per ceruum à S. Ita, mulam à S. Ignatio Loyola; ſicut & Balaam ab aſina monitus, & Philiſthæi à vaccis arcam trahentibus eruditi.*

Qualis datus eſt dux etiam S. Itæ innocenti, ob arreptam adulterij ſuſpicionem, ex arce ac turri præcipitatæ, atque in nemoris ſalutares latebras inuitatæ, ceruus cornuum ramis, candelarum inſtar, prælucens. Neque noſter Patriarcha Ignatius à cæde Mauri aliter eſt abductus. *Pergentem, cæpto itinere, Ignatium,* inquit Ribadeneira, *& recta montem Serratum verſus progredientem, Sarracenus quidam, ſiue Maurus aſſecutus eſt (erant per id tempus in Hiſpania Tarraconenſi adhuc aliqui ex antiquis eius gentis reliquijs) cum vnà irent, incidit (vt fit) illis ſermo de Virginitate B. Virginis Mariæ, quam cum in conceptu filij concederet Maurus, in partu negaret, ad eámq; rem naturales rationes aliquot adferret, neq; ad ve-*

Petr. Ribad. l. 1. Vitæ S. Ignatij. c. 3.

ad veritatem flecti poſſet, ab Ignatio, celeriter præceſsit, ſolúmq; Ignatium reliquit, hærentem diu, multúmq; dubitantem, vtrum ab ſe pietas Chriſtiana exigeret, vt Maurum conſequeretur, & pugione confoderet, quòd de beatiſsima & immaculata Virgine, coram ſe, ignominiosè locutus fuiſſet. Homo quippe militaris, & fallaci veri honoris imitatione olim deluſus, dedecori ſibi eſſe ducebat, ſi quid à religionis Chriſtianæ inimico, ſe audiente, de inuiolata Sacroſanctæ Virginis integritate impunè detraheretur. Quæ quidem cogitatio in ſpeciem pia, diu, multúmq; rudem tunc Chriſti militem torſit, in eámq; deliberationem tandem induxit, vt, vbi ad biuium (vnde è via publica ad oppidum vicinum Maurus declinârat) conſtitiſſet, habenas mulæ, qua vehebatur, permitteret, &, ſi ad locum, vbi Maurus erat, diuerteret, quæſitum illum, atq; inuentum interficeret: ſin rectè pergeret, omitteret. Atq; ita diuina prouidentia factum eſt, vt iumentum, lata faciliq; via prætermiſſa, ſuum iter ſequeretur. Vt omnes intelligant, quibus initijs, quibusq; progreſsibus, Deus militem ſuum ad extrema perduceret. Nam, vt ait D. Auguſtinus, animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt ſæpe vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui vir- S. Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 70.

*tuti ſint potiſsimùm accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Vnde & Moyſes interficiens Ægyptium, adhuc incultus, vitioſa quidem, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat.* Neque debet Momus hîc aliquis ridere, viam Deo diſplicentem, mulæ indicio, proditam Ignatio, cum Balaam ad Balac proficiſcente, & irato Deo, *cernens aſina Angelum ſtantem in via, euaginato gladio*, auerterit itidem *ſe de itinere*, & iuerit, *per agrum*, tandémque etiam prodigioſa voce hominem docuerit, quà non eſſet eundum. Quemadmodum & Saul aſinas amiſſas quærens regnum inuenit. Quin hoc ipſum ſortiendæ viæ genus, in ſacris paginis, legimus. Ita percuſſis à Deo Philiſthæis ſuaſum eſt: *Arripite & facite plauſtrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi. Tolletiſq; arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus eius: & dimittite eam, vt vadat. Et aſpicietis: & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malũ grande: ſin autem minimè: ſciemus quia nequaquã manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.* Non eſt difficile

Num. 22. 23.

1. Reg. 9. 3.

1. Reg. 6. 7.

cile diuinæ ſapientiæ etiam per Arcadicum pecus, aut aſini aut mulæ, aut bouis, aut vaccæ ſtupiditatem, ad prudentiam erudire. Cum rebellem filium Abſolonē vellet Deus infelici arbori ſuſpendere, mula carnificem egit: poteſt eadem etiam, ſi Deus vult, agere præceptorem. Vnde multò ſtultiſſimè agunt, qui inde ſe excuſant à diuini Verbi auditione, quòd Parochos habeant, & ſimplices, & non ſatis doctos. Per beſtiam te poteſt ſummus Magiſter inſtruere, quid quæris Platonem? Ipſi Apoſtoli nonne ſimplices fuerunt, atq; illiterati? Quid tunc feciſſes, an Petrum piſcatorem, aut Nathanaëlem *verum Iſraëlitam, in quo dolus non erat*, concionantem audire noluiſſes? Sed ad *Sortes*, immo ſortientes enumerandos reuertamur.

2. Reg. 18. 9.

Io. 1. 47.

## §. XIV.

### *S. Bennonis, & S. Maurilij prodigioſus reditus, ſorte & indicio clauium repertarum.*

Notiſſimus eſt D. Bennonis Epiſcopi & piſcis & claues, cui ſimilem, ſed non æquè notam hiſtoriam, ex Venantio Fortunato Epiſcopo Pictauienſi, qui tempore Iuſtini iunioris An. 570. floruit, referam. D. Maurili-

Venant. Fortunat. in vita D. Maurilij cap. 15. & Sur. tom.

5. die 13. Septemb rilius Mediolanenſis, D. Martini diſcipulus, multis magníſque miraculis clarus, quem Andegauenſes Pontificem habuerunt, paulo poſtquam à S. Martino, columba candidiſſima ſuper caput eius deſcendente, initiatus erat, in D. Petri templo ſolenniter fecit. Dum ſacrificaret, adfuit, cum moribundo filio matrona illa, cui, ante id tempus; ſterili eundem precibus à Deo impetrauerat. Ea matrona, non vitam corporis gnato, ſed Spiritum S. poſtulabat manuũ impoſitione, ſeu Confirmationis atque extremæ vnctionis fortaſſe etiam ſacramento impertiendũ; pulcherrimo matrum documento, ne myſteria tã ſacroſancta luctui & lamentis ſuis poſthabeant, ſed vt regnum cælorum in primis medicúmque animæ antè, quàm corporis quærant. Maurilius nequaquam rem præcipitare ſacram aſſuetus, ſed diuinis affectibus abſorptus, dum in corpore & ſanguine Seruatoris conſecrando moram trahit, deſinit puer trahere animam; atque ita hic priùs vitam, quàm ille Miſſam abſoluit. Audite, obſecro, rem miriſſimam, & æri, immo pectori omnium Epiſcoporum ac Eccleſiaſticorum penitus inſculpendam; eorum autem præſertim, qui dum viſitant ditio-

tionem, dum Sacramentũ Chriſmatis conferunt, luſtrum eſt; aut qui luſibus ſympoſiiſque, cum morte & Styge luctantium agones negligunt, eóſque ſine culparum expiatione, ſine extrema Vnctione, ſine cæleſti viatico emori ſinunt, ne ſuas cogantur interrumpere compotationes ac ebrietates. Non ſic Maurilius, non ſic fecit; puer, ſine Confirmatione deceſſit, illo non perpotante, ſed ad ſacratam menſam operante, libantéque ſanguinem Chriſti. Quis eum non excuſaret? quo altero negotio ſanctiore occuparetur? immo quis religioni ſibi non duceret, eo loco interiungere? At longè aliter calculum duxit ſanctus ille præſul. Nam poſtquam *Ilicet*, dixit, vbi cognouit, puerum vixiſſe, inconſolabilibus lachrymis negligentiam ſuã deplorauit, ſibi attribuens, quòd ille chriſmate atque ſacro oleo non vnctus, ſine tanto dono, vitam finijſſet. Hîc cupio omnes mortales diligenter perpendere, quanti vel leuem culpam faciant, diuinorum iudiciorum gnari. Nam Maurilius, quoniam delictum iſtud nullo ſatis fletu ablui poſſe arbitrabatur, diu multúmq;, quid ageret, animo ſecum colluctante, ſtatuit, domi ac inter ciues, tale piaculum lui non

poſſe,

poſſe, ſed voluntario exilio, puniendum. Conſilio hoc capto, clam profugit, incogitánsque ſecum claues aſportat, quibus Reliquiæ Diuorum, in Andegauenſi Eccleſia, cuſtodiebantur. Solicitus exul nullum ſatis remotum ſecurúmque exilium exiſtimabat, niſi quod mare interpoſitum muniuiſſet. Ad littus vbi peruenit, dum nautæ morantur ventúmque expectant, ne nihil ageret, per otium, in lapide, diem nauigationis ſuæ incîdit, noménque adiecit, à nullo vtique Andegauenſi reperiendum. Conſcenſa naui, atque in altum prouecta, tum demum cæpit animaduertere, claues ſacri theſauri ſecum ablatas: eáſque, cùm manibus verſaſſet, ſubitò, dæmonis inuidia excuſſas atque in mare eſſe prolapſas, duplici dolore angebatur. Quamobrem, non ſine pio fletu, exclamauit, ſe niſi has claues iterum videre meruiſſet, patriam vrbémque, non reuiſurum. Et ſanè, ante integrum ſeptennium, non reuiſit. Tanti etiam Deus vel leuem, vt nobis videtur, labeculā facit. Quot annis, aut quibus pœnis caſtigaturus eſt, eos, qui, non Sacrificij, cum conſueta pietate, abſoluendi cauſſa; ſed vt dormire, & edormire crapulam, vt perpotare, vt ludere poſ-

re poſſint, tot deſerunt moribundos? tot o-ues negligunt, neque inſtruunt illis doctrinis, ſine quibus æternam ſalutem non conſequuntur? Decimas ſuas accuratè exigunt, vt habeant, vnde viuant. Sciant & oues exigere pabulum ſpirituale; quo ſubducto, illis eſt pereundum. Quid ergo tunc eiuſcemodi paſtoribus continget? an ſeptennij exilium illis ſufficiet? Nequaquam, ſed ob vnamquamque ouem æternùm, illorum negligentia, pereuntem, æternùm ſunt perituri. Sed reuertamur ad noſtrum Maurilium. Is, nauigatione ſuperata, veſtem mutauit, ne agnoſceretur; vtque corpus aſſiduis laboribus diuexaret, Hortulanum profeſſus homini primario operam condixit. Eo in opere apparuit; quanti referat, qua manu quid ſeratur, quámq; ſalutaris ſit imber diuinæ benedictionis. Siquidem quidquid ſeminauerat, quidquid plantauerat, incredibili auctu fœnoréque proueniebat; adeò vt non ſolùm omnibus ſufficeret, ſed etiam nunquam deficeret, quod culinis ſuis petebant. Hęc fertilitas & gratia horti magnam illi gratiam amorémque conciliauit; tandémque, etiam extra Phæaciam, pro Alcinoo habebatur, Alcinous pariter plantando, &

do, & Onias, pro populo ac ouibus ſuis identidem orando.

Interea Andegauenſis populus paſtore ſuo viduatus abſentiam illius ſemper magis magiſque ſentiebat. Deerat enim qui iuſſu dæmones fugaret, oratione ægros ſanaret, ſigno crucis cæcos illuminaret. Quin, è cælo quoq;, per varia viſa, admonebatur, perque portenta terrebatur, ne deſes eſſet in Antiſtite ſuo quęritando, ſi vellet imminens vrbi excidium declinare. Adeò Deus bonos paſtores cordi habet, & populum paſtoris amantem amat; vt etiam terreat, & puniat, ſi non ſatis curet curatorem. Quem tantò impenſiùs curandum, vel inde docemur, quòd vnius Epiſcopi ſanctitas poſſit diuinæ iræ obſtare, ne tota aliqua ciuitas euertatur. Electi ſunt igitur, communi conſilio atque impenſa, viri quatuor probatiſſimæ virtutis, qui omnibus rebus neceſſarijs inſtructi, per diuerſas orbis partes, Præſulem quæſitum proficiſcerentur. Hi omnem ferè Europam perluſtrarunt fruſtra, ſeptimóq; tandem anno, re infecta, in Galliam reuerſi, quem cis mare non repererunt, trans mare indagaturi, diuino ductu, ad eum Oceani portum, qui in Britannia minore eſt, perueneuene-

uenerunt. Ibi dum nauim expectantes, temerè aliquot ſpatijs factis, per littus, obambulant, in ſilice inſcriptum inueniunt: HIC TRANSIIT MAVRILIVS ANDEGAVORVM EPISCOPVS &c. Ea indicina læti nauem, & mox mare intrant. Ad medium progreſſis, ex improuiſo, grandior piſcis, potenti ſaltu, de gurgite in nauim ſe librat, in quo exenterato eas ipſas ſacrarum Reliquiarum claues, quæ de S. Maurilij manibus, ante tot annos, arte dæmonis exciderant, benignitate Numinis iterum inuenerunt. Quibus agnitis, haud mediocri pauore perculſi timuerunt, ne & ipſe Maurilius naufragio hauſtus perijſſet. Anchoras iaciunt, &, naue ſtante, in medium conſulunt, progrediendúmne ſit, an patria repetenda? Suadebant potenter nautæ, actum eſſe, reuerterentur, claues notas hauſti fluctibus Maurilij euidens indicium haberi. Dum conſulunt, nox ſubit, & ſomnus, & cum ſomno omnibus mandatum à Deo datur, vt cæpto itinere pergant, neq; ceſſent Antiſtitem ſuum inueſtigare. Hoc ſomnio vno eodémque omnes vſi non cenſuerunt retro, ſed porrò nauigandũ. Quare, Angelo duce, & portum obtinuerunt,

C &ho-

& hoſpitio circumſpecto, non in hoſpitium, ſed in eas ipſas ædes delati ſunt, in quibus Maurilius topiariam factitabat. Vix domum ingreſſi audiunt illicò deſideratiſſimũ nomen Maurilium, vt cum oleribus præſto eſſet, inclamari, vidéntque quaſi mediaſtinum, cum oleribus accurrentem. Mirificum tunc extitit gaudium, ſummáque admiratione ſtupefacti, ad illius ſe pedes abijciunt, atque vbertim lachrymantes, ſumma, qua poſſunt, ope, rogant, vti patriæ ciuitatíque ſuæ ſuccurrere periclitanti ne dedignetur. Admiratur non minùs Maurilius, ſe inuentum & agnitum, quàm qui illum agnouerunt. Cum igitur ſe ipſum negare non poſſet, fugam faſſus, reditum negauit, aſſerens ſe & voto, & iuramento conſtrictum, ne vnquam domum reuerteretur, niſi perditas in vndis claues recepiſſet. Ibi ſe demum diuinæ prouidentiæ ambages aperuerunt. Nam &, qui ad eum indagandum miſſi fuerant, viſa ſua retulerunt, & claues ipſæ è profundo pelagi poſtliminiò à piſce redditæ teſtimonium fuerunt diuinæ voluntatis. Excitata eſt ingens, inter omnes, admiratio; ſed præcipuè obſtupuerunt illi, quibus tantus Præſul, per tam multos an-

nos,

nos, verniliter ſeruijt. Itaq; quem vt hortulanum habuerant, iam vt Præſulem venerantur, ignoſciq; ſibi petunt, quòd incognitum non tractârint pro reuerentia & dignitate. Maurilius tot pulſatus argumentis precibúsque fatigatus nondum tamen plenè conſenſit in reditum, niſi priùs os Domini conſuluiſſet. Inducias igitur, in alterum diem, petiuit, totámque vigilijs ac precibus noctem impendere ſtatuit, vt mentem opémque diuinam imploraret. Concubia nocte, peruigilio feſſum lenis ſopor oppreſſit; ibi Angelus adfuit, eúmque ita affatus eſt: *Surge, Maurili, & populorum te requirentium exequere votum. Ecce enim tuis precibus & meritis tibi commiſſas Dominus ſeruauit oues, pro quibus rogaſti, & inſuper reddidit puerum, quem diutiùs plorans quæſiſti.* Facto die, non minore luctu eorum, quos relinquebat, quàm gaudio illorum, quos comitabatur, ad nauim deductus eſt. Domum vbi venit, ad defuncti pueri & iam ſeptem annis ſepulti tumulum acceſſit, terráq; eruta, in genua procumbens, longam, cum vberrimo fletu, orationem ad Chriſtũ effudit. Qua finita, vtrique conſurgunt, Maurilius de oratione, & puer de morte:

quem conſecratum, ex euentu Renatum appellauit, habuítque poſt ſe, in Epiſcopatu Andegauenſi, Succeſſorem, & ipſum miraculorum grandium patratorem. Sic Maurilio defunctus puer, Maurilius populo ſuo redditus, maiore cum gaudio & honore domi exceptus, quàm, in exilio, ad nauim, ingenti hominum multitudine concurrente, deductus eſt. Sic clauium repertarum ſors Maurilium domum reduxit, Verùm, vt de muneribus dici aſſolet, ita & hîc *nec omnia, nec paßim, nec ab omnibus* imitanda ſunt. Itaque ne aniculæ, cum his talibus, friuola, & gerris Siculis vaniora, permiſceant, *& Hiberas nænias Ægyptiáq;* vt D. Hieronymus ait, *portenta ſectentur*, prouidè ſcoria ab auro eſt ſeparanda. Quid ſi Maurilius, claues in mari ſepultas, putaſſet nunquam, ſicut ferrum ad ſecurim olim, nataturas, atque ea loquendi formula indicare voluiſſet, ſe quoq; nunquam rediturum, atque ita non ipſe *ſortes*, aut ſignum reditus à Deo popoſciſſet, ſed Deus non poſcenti inuentionem clauium pro ſortibus eſſe conſtituiſſet? Quod ſæpe euenit nunc, nihil minùs, quàm de *ſortibus* cogitanti. Vnde nihil in exemplum trahere poſſunt mali *ſortium* vſurpatores.

Vlpianus in Pandect. l. 1. tit. de officio Proconſulis, ex epiſt. D. Seueri & Antonini Impp. S. Hieron. in 12. qq.

CA-

# CAPVT. II.

## *Quænam exploratio diuinæ voluntatis, per ſortes, aut quæ ſors ſit licita?*

### §. I.

*Etſi non ſemper illicita, periculoſa tamen ſortitio.*

NVſquam magis inter Scyllam & Charybdim nauigatur, quàm cũ de *Sortibus* eſt diſputatio: vtrinq; enim ſunt ſcopuli: & qui omnes *Sortes* damnat, malus eſt iudex, & qui omnes abſoluit, impius vſurpator. Recenſui varias Sortes, & varios, qui illis vſi ſunt, non tamen omnes probaui; improbus autem eſſem, ſi omnes reieciſſem. Vt ergò tutò, etiam hac ratione, Dei iudicia indagari poſſint, ſequentia dabo documenta.

### §. II.

*Induſtrias quaſdam, Sortium inſtar, adhibitas aut adhiberi ſolitas, non eſſe damnandas, ſi quidem, ſine malo dolo, aut malo fine, adhibeantur.*

Primum documentum. Quædam *Sortes* vocantur, quæ non ſunt *Sortes*, ſed meræ induſtriæ naturales, atq; ex ſe non illicitæ; ſed ſæpe etiam laudatæ. Talis fuit Sors, ex

hinnitu equi captata, de qua ſupra. Etſi enim vera ſors fuiſſet, ſi in regem electus eſſet, cuius equus in forũ deductus caſu hinnijſſet; non fuit tamen vera ſors, ſi ad illum aſpiciamus, cuius conſilio ingenióque, equus, præcedente die, in eodem loco ad equam admiſſus, quodammodo eruditus & aſſuetus fuit hinnire, cum ad eundem locum redijſſet. Talis induſtria fuit Friderici III. apud quem, cũ ruſticus queſtus eſſet, iugalium equorum alterum, in caupona ſibi, per abigeum, ſubductum eſſe; abactorem ſibi Imperator iuſſit indicari. Ruſticus id à ſe fieri poſſe negauit, eò quòd hominem non noſſet. Subridens Fridericus ait: Clementer tecum eſt actum, nam cum in hac vrbe tot ſint equites, equi tam pauci, mirum eſt, milites non vtrumque equum ſimul abſtuliſſe. Equa, ô Cæſar, ſubdit ruſticus, eſt altera, quæ militibus paruo vſui. Age igitur, inquit Imperator, equam inſcende, pérque omnes vicos, plateas, compita, & angiportus vrbis obequita. Subtractus equus in aliquo ſtabulo latitat; is, cum iugalis odorem ſenſerit, illico hinnitum edet ſociámque ſalutabit. Placuit ruſtico conſilium, & profuit. Nam hinnitu proditus eſt

Æneas Silu. l 2. de geſtis Alphõſi.

abige-

abigeus, ſicut quondã Cacus mugitu. Quis ſortem hanc potiùs, quàm artem vocaret? Hæc ſagacitas, in diuinis litteris, *diuinatio* appellatur: *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.* Prou. 16. 16. Eiuſcemodi *diuinatio*, ſeu induſtria neceſſaria eſt iudici, in perplexis ambiguiſque factis eruendis, & in rebus, quarum veritas ignoratur, ſollerti diſcuſſione conijciendis. Tali ſollertia Salomon veram matrem agnouit, eique filium reddidit. 3. Reg. 3. Tali Ariopharnes Thracum rex filium regis regno dignum inuenit. Diodor. Sicul. lib. 20. Tres fuerunt Cimmericorum regis filij, regnum paternum quiſq; affectabat. Ariopharnes iudex eligitur. Hic erutum patris eorum cadauer è ſepulchro, arbori alligat, arcui ſortem committit. regni ſucceſſor deſtinatur, qui cor patris ſagitta tetigiſſet. primogenitus guttur, alter medium pectus corde illæſo, transfixit. Supererat minimo ſpes regni, vicit pietas, & ſe regno cedere malle, dum in patris cadauer pietate ſuperior eſſet, profeſſus; iaculari detrectauit. Huic ergo regnum eſt adiudicatum, quòd ſe pariter & verè filium, & virtute ſuperiorem demonſtraſſet. Ariopharnes hic ſorte ſe vſurum ſimulauit: arte vſus eſt. Eiuſcemodi com-

Anton. Panorm. l. 2. de geſtis Alfonſ. Ioan. Magn. l. hiſtor. Gotth. c. 29. Andr. Barbat. in c. præſenti in probation.

plura, de Alphonſo primo Neapol. rege, inter ancillam & dominum facinus negantem; itémque de Thedorico rege Gothorum, inter matrem & filium; déque ipſo Carolo Magno, inter patrem & filium non tam fortuitò ſortiente, quàm prudenti & ingenioſa argutia verum exprimente narrantur. Qualibus induſtrijs, ex ſe ſpectatis, non peccatur, niſi finis prauus, aut dolus malus accedat. Sæpe, qui dedit ingenium, vtitur ingenioſis, vt detegat fraudes ſtupidorum, doceátq; eos ſapere. Nam, *poſt induſtriam, ſequetur ſapientia.*

Eccl. 10. 10.

§. III.

*Non omnes ſortes damnandas, ne multos Sanctos, immo Deum ipſum damnemus.*

Secundũ documentum. Etiam propriè dictarum vſus *Sortium* vniuersè damnari non debet, non poteſt. Quia alioqui multi ſancti, qui eas vel laudarunt, vel etiam, Deo inſpirante, vſurparunt, immo ipſe Deus Sortibus vti iubens, damnaretur. Et quidem D. Gregorius de hac re agens, præter ſupra è veteri lege cõmemorata, & quæ infra commemorabuntur, affert in exemplum, Matthiæ electionem, quæ ſi mala eſſet, Apoſtoli eligendo peccauiſſent; neq;

S. Greg. in cap. 4. 1. Regum

diui-

diuinum iudicium interceſſiſſet, poſt humanum, quo duos ſelectos, vnúmque à S. Spiritu electũ Origenes, & D. Auguſtinus docuerunt, quando Apoſtoli *ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus: & Matthiam,* nomináq; eorum, vt multi tradunt, inſcripta in vrnam miſerunt, rogârúntq; Deum, vt eius priùs nomen exiret, quem ſciret eſſe aptiorem. De vſu Sortium, in Veteri Teſtamento, res è ſupra memoratis exemplis eſt clara. Quod ſi autem tunc maior fuit imperfectio, etiam ob vſum ſortiendi; haud tamen reprehendi poteſt vſus ille, niſi Deum ipſum velimus reprehendere, qui, per Moyſen, *Sortes* quaſdam certas introduxit. Quanquam non putandum eſt, continuò aberrare à perfectione, minusúe rectè fieri, in noua lege, quidquid lex vetus vſurpauit. Hinc & alij Sancti, in nouo Teſtamento, *Sortes* ſubinde, quamuis neq; omnes, neque temerè vſurpauerunt.

Orig. hõ. 23. in Ioſue Auguſtin. in Pſal. 30. conc. 2. Act. Apoſt. c. 1. 23.

§. IV.

*Sortes, iuſſu diuino, meritò vſurpatas. Et earum exempla è veteri lege.*

Tertium documentum. Sortes omnes

 diui-

diuina iuſſione adhibitæ, rectè ſunt adhibitæ, vt per ſe patet. Nam qui Deo paret, non peccat; cum peccatum Deus iubere, vel ad illud adhortari non poſſit, qui *bene*
Marc. 7. 37. *omnia fecit.* Et cur, cuius eſt, opus præſcribere; non poſſit etiam modum operis preſcribere? Rectè ergo olim hircus immolan-
Leuit. 16. 18. dus *Sorte* electus eſt. Rectè electus ſorte
Num. 17. 1. Aaron, de quo *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios Iſraël, & accipe ab eis virgas ſingulas, per cognationes ſuas à cunctis Principibus tribuum, & virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas ſeorſim familias continebit: ponéſq; eas, in tabernaculo fœderis, coram teſtimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Has virgas, *cum poſuiſſet Moyſes coram Domino, in tabernaculo teſtimonij: ſequenti die, regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron, in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.* Cur autem Deus hoc fieri iuſſerit, ipſe prodidit illis verbis: *Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël, & quieſcant quere-*

*relæ*

*rebæ eorum.* Ita enim apparebat, diuinitus, non autem fraterno alioúe humano affectu, factam Aaronis electionem. Quare etiam in noua lege, fuit inſpiratio Dei, vt ſorte, eligeretur Matthias, ne ceteris Apoſtolis inferior cenſeretur, niſi à Chriſto ipſo electus eſſet; & quia inter Barſabã ac Matthiam ſanctitate & doctrina adeò pares, humano iudicio, diſcerni non poterat, vter præferendus eſſet; niſi Deus, per ſortes à ſe temperatas, iudicium ſuum declarauiſſet. Rectè per ſortem electus Saul, de cuius electionẽ ſic loquitur ſcriptura: *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſraël, & cecidit Sors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vſq; ad Saul filium Cis.* Quis dubitet, Samuelem diuino iuſſu, hunc electionis modum obſeruaſſe? Sicut & Dauidem, quando familiarum Eleazar & Ithamar vices, in miniſterio Domini, ſortibus diuiſit? Itémque, quando *miſerunt & ipſi ſortes contra fratres ſuos filios Aaron, coram Dauid rege, & Sadoc, & Achimelech, & Principibus familiarum Sacerdotalium & Leuiticarum, tam maiores, quam minores omnes ſors æqualiter diuidebat.* Talem ſortis vſũ expreſsè, in fur-

1. Reg. 10. 20.

1. Paralip. 24. 5.

Ibid. v. 31.

Ioſue 7. 14.

furto Achan deprehendẽdo, mandauit, De⁹, his verbis: *Accedetis manè ſinguli, per tribus veſtras: & quamcunq; tribũ ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domúsq; per viros.* Sic in reum inquiri iuſſit Deus. Quis ſummum Iudicem iudicet malè iuſſiſſe? Qui vtique etiam rectè iuſſit, quando Moyſi dixit: *Iſtis diuidetur terra, iuxta numerũ vocabulorum in poſſeßiones ſuas. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: ſingulis, ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeßio: ita duntaxat vt Sors terram tribubus diuidat & familijs. Quidquid ſorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.*

Num. 26. 53.

## §. V.

*Sortes etiam diuino inſtinctu monſtratas rectè vſurpari, ſi tamen rectè examinentur; exemplo S. Auguſtini, apertione libri, Dei voluntatẽ diſcentis.*

Quartum documentũ. Nec iuſſione duntaxat, ſed etiam admonitione diuina, quando ea eſt ſatis clara, *Sortes* rectè conſuluntur. Quod D. Auguſtino factum eſt, de vitæ ſtatu deliberanti. *Flebam*, inquit, *amariſſima contritione cordis mei: Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, &*

S. Aug. l. 8. Confeſſ. c. 12.

crebrò

*crebrò repetentis, quaſi pueri, an puellæ neſcio: Tolle lege, tolle lege.* Ac ne temerè videatur credidiſſe ignotæ vocis admonitioni, ſubiungit: *ſtatimq; mutato vultu, intentiſſimus cogitare cæpi, vtrumnam ſolerent pueri, in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid, nec occurrebat omnino, audiuiſſe me vſpiam.* Eant, qui ſorte conſultoria ſe ipſos fallunt, & quęrant, quam prætexere poſſint excuſationem ſuæ leuitati; cum D. Auguſtinus, ne clarè quidem monenti voci ſtatim voluerit fidem adhibere; quia & imaginatio poteſt decipi, & vox ab alio etiam ad aures accidere, immo ab Alaſtore etiam fingi. Qua de cauſſa cautela opus eſt, præſertim mulierculis, & ſimplicibus, quibus omnis phantaſia reuelatio videtur, alioqui ad ſortilegia pronis. Si tamen vel vox eſt prudenter examinata, vel inſtinctus bene exploratus, ſi ſpiritus probatus, num ex Deo ſit; & potiùs, ſi conſtet de reuelatione, ad hoc genus ſortiendæ diuinæ voluntatis excitante, nequaquam ei eſt reluctandum. Diſcretio autem ſpirituum, eſt peculiare donum Dei, nec penes vnumquenq;. Quare, ne in eiuſcemodi negotijs, illuſionibus ſe quis exponat, peritiores debet conſulere, & finem æquè ac inter-

nam

nam lucem ſpectare, maximéque perſonam illam, cui reuelatio eſt facta. Qua de re legendus eſt Delrius lib. 4. diſq. c. 1. q. 3. ſect. 1. 2. & 3.

§. VI.

*S. Franciſcus ſorte, vſus, vt ſciret, quid Deo gratiſſimum exhibere poſſet. Et qualis ea ſors fuerit?*

D. Antonin. 3. p. ſum. hiſt. tit. 24. §. 7. D. Bonauent. in vita S. Franciſc. c. 13.

Hoc pacto, carptim & obiter D. Antoninus; plenè D. Bonauentura narrat, S. Franciſcum ſorte vſum. *Immiſſum eſt eius menti*, ait, *per diuinum oraculum, quòd, in apertione libri Euangelici, aperiretur ei à Christo, quod Deo, in ipſo, & de ipſo, maximè foret acceptum. Oratione itaq; cum multa deuotione præmiſſa, ſacrum Euangeliorum librum de altari ſumptum, in SS. Trinitatis nomine aperiri fecit, per ſocium, virum vtiq; Deo deuotum & ſanctum. Sanè, cum, in trina libri apertione, ſemper Paſſio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quòd ſicut Chriſtũ fuerat imitatus in actionibus vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionib⁹ & doloribus Paſſionis, antequam ex hoc mundo tranſiret.* Optima vtique ſors fuit, quæ docuit, non vlciſci inimicos, ſed diligere; non ſectari delicias, ſed, cum Chriſto, & pro Chriſto, crucem ferre.

§. VII.

## §. VII.

*Sortes magni momenti, non ſine neceſſitate adhibendæ. Et quando ijs, in ſelectu perſonarum, vſus S. Auguſtinus, quando S. Ignatius Loyola?*

Pro quarti huius documenti cautela, rectè monent nonnulli, *ſortes* è fortuita libri apertione; aut alio quopiam ſimili ſigno, non petendas eſſe, niſi, graui neceſſitate, quis ad id compellatur, vt ad terminandam grauem litem, vel ad anceps conſilium dijudicandum. In quam rem citant D. Auguſtinum, qui, *Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, quis eorum, perſecutionis tempore, maneat, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte eorum deſeratur Eccleſia: ſi cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non habent, nec duobus dari poſſet, neuter verò alium vel negligentia, vel vrgente neceſſitate, ſuperaret;* tum ſortitionem fieri poſſe cenſet. Qua etiam S. Ignatium noſtrum vſum, tradit Iacobus Damianus noſter, in Synopſi primi ſeculi Soc. Iesv. Poſtquam enim Hieronymi Domenecci ſalutaria Panormi inſtituta Siciliæ *Prorex omnia ſanxit edicto: primitijs adeò felicibus ad vberiores, per Collegij molitionem, fructus, animum intendit. Illi* con-

S. Aug. epiſt. 180. ad Honorat. Et lib. 1. de doctrin. Chriſtian. c. 28.

Iacob. Damian. lib. 1. c. 10. Anno 1546.

*condendo petijt operas ipſe; miſit autem Ignatius duodenas, Natalem Hiſpanum, Fruſium Gallum, Caniſium Belgam, Benedictum Palmium Italum, alióſq;, ſi non gente, Prouincijs ſaltem inter ſe diuerſos. Vna aſsimilauerat Obedientiæ perfectiſsimæ ratio. Nam Ignatius iuſſerat omnes Romanæ domus Socios (ſex erant ſupra triginta) triduo ſecum expendere, vtrò quiſq; magis inclinaret: Permanere in Vrbe, an in Siciliam ire? Huic, aut illi miniſterio addici. Tum inclinationem ſuam ſcripto expreſſam tradere. Præſtituta die, reſcripſere omnes, Nullo ſe magis propendere. Globus in tabula poſitus, & omnem adæquè in partem pendens, certiùs in ſcopum mittitur. Sic è Socijs indiſcretè ad omnia promtis, duodecim in Siciliam deſtinantur.* Hæc ille. Sed hoc genus ſortiendi pertinet ad ſextum documentum.

## §. VIII.

*Non ſine debita reuerentia, aut precibus adhibendæ Sortes.*

Mart. Delr. l. 4. Diſquiſit. Magicar. cap. 2. q. 7. ſect. 3.

Addit Beda ſecundam conditionem, vt videlicet eiuſcemodi ſortes, *debita cum reuerentia*, &, precibus *ad Deum fuſis*, adhibeantur. Has duas conditiones ſtatuit Delrius, *non ſeparatim ſumptas, ſed coniunctim* intelligendas, adeò, vt ſimul & materiæ neceſſi-

ceſſitas, & recurſus ad Deum requiratur. Circumſpectè & exemplis Sanctorum conuenienter. Nec Patres alteram conditionem excludunt, cum alteram tantùm exprimunt. Clara ſunt paſſim exempla. 1. Seruus Abrahæ in Meſopotamiam ad queręndam vxorem Iſaac miſſus, vbi ad vrbem Nachor peruenit, ſorte vſurus, ſic precatus eſt *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego ſto, prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquã. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina, hydriam tuam, vt bibam: & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum domino meo. Nec dum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur:* vt ſciremus, precanti ſortem & fauſtam fuiſſe, & expeditam. Saul quoque exploraturus, quis in populo peccauiſſet, à precatione orſus *dixit ad Dominum Deum Iſraël: Domine Deus Iſrael, da indicium, quid eſt, quòd non reſponderis ſeruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi hæc iniqui-*

Gen. 24. 12.

1. Reg. 14 41.

Actor. 1. 24. *tas eſt in populo tuo, da ſanctitatem.* Apoſtoli antè, quàm ſortem in manus ſumerent, *orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris, ex his duobus vnum.* Quam orationem credibile eſt, Petrum nomine omnium pronunciaſſe. Cum autem in omni ſiue ſortitione, ſiue electione, ſit Deus exorandus, maxime tamen id faciendum eſt, in electione Paſtorũ

Luc. 6. 12. & Prælatorum, quippe, quia magni res momenti eſt, & Chriſtus ipſe, ad exemplum

S. Ambr. in eund. loc. noſtrum, per totam noctem, &, vt S. Ambroſius autumat, *cum Apoſtolis orauit, quod alias ſemper ſolus feciſſe legitur, quaſi tanta res, tam communis communem & vnanimem po-*

Act. 6. 6. & cap. 13. 2. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de refor. *ſtulet orationem.* Idem obſeruatum eſt, in electione ſeptem Diaconorum, & in ſegregatione Pauli & Barnabæ. Quare etiam decernit Concilium Tridentinum, vt, cum primùm Eccleſia vacauerit, ſupplicationes ac preces publicè priuatímque habeantur, & à Capitulo, per ciuitatē & diœceſim indicantur, quibus Clerus populúsq; bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare. Certè quiſquis ſcit, quàm nihil ex nobis ipſis, ſine diuina gratia, poſſimus, multò magis orabit, vt ſortes, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, à Deo temperentur,

§. IX.

*S. Baſilium, Auguſtinum, Franciſcum, ante Sortes, oraſſe; & de Franciſci Caietani, per Sortes, vocatione ad Societatem IESV.*

Hoc pacto D. Baſilius ſupra commemoratus, priuſquam ex Euangelio, vitæ ſibi genus ſortiretur, *miſerabilem vitam* ſuam, *deplorabat; optabatq;, &, præ omnibus, ſanè multam curam adhibebat* (quid ni & orabat) *vt ſibi manuductor daretur.* Hoc pacto S. Auguſtinus antè, quàm audiret, *Tolle lege*, dimiſit *habenas lachrymis*, prorumpentibúſque fluminibus oculorum, dixit: *Et tu, Domine, vſquequo?* &c. Quòd autem idem S. Pater alibi, vbi de ſortitione eorum, qui tempore perſecutionis manere, aut fugere debebant, agit, orationis mentionem non faciat, non eſt cur orationem putemus omiſſam; non excluſit alterum, cum alterũ expreſſit, ſcilicet grauitatẽ materiæ, agebat enim de grege, propter periculũ, non deſerendo; ac de ijs, quibus ſors, ſine inuidia, ferre poterat ſecuritatẽ. Hoc pacto S. Franciſcus, cum eſſet *immiſſum eius menti, per diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici aperiretur ei a Chriſto, quod Deo in ipſo,*

S. Baſil. epiſt. 79.

S. Aug. l. 8. Conſeſſ. cap. 12.

Idem epiſt. 190.

S. Bonau. in vita ipſius, c. 13.

*& de ipſo maximè foret acceptum. Oratione, cum multâ deuotione, præmiſſa, ſacrum Euangeliorum librum de altari ſumptum: in S. Trinitatis nomine aperiri fecit* &c. Recens, & nondum ita vnlgatum eſt, quod memorat Alfonſus Caietanus, in vita Franciſci Caietani, Panormi, per Decium Cyrillum Italicè edita An. 1637. Franciſcus Caietanus, Dynaſtæ, ſeu Marchionis Sortinenſis filius, perſpecta mundi vanitate, ſtatuit ſeſe rebus humanis abdicare, totúmque Chriſto, in Religioſo ordine, mancipare. Sed anceps erat, quonã animus eſſet appellendus. Quare cenſuit, id priùs feriò eſſe expendendum. Duo, præ reliquis, ambiguum eum fecerant ordines, PP. Cappuccinorum ſcilicet, & Societatis IESV. Trahebat illum, ex vna parte, deſiderium pœnitentiæ, affectúſque, quo erga D. Franciſcum flagrabat. Retrahebat, ex altera parte, corporis imbecillitas, & tenera delicatéq; educta complexio: offerebátq; ſeſe identidem concepta, de Societate IESV, opinio; quam mirè auxerat ſanctitas clariſſimè reſplendens in P. Caſparo Concionatore Societatis, ac ſpirituali duce illius. Ad huius viri normam imitandam extimulabatur. Fluctuabat, inter hos ordi-

Alfonſ. Caiet. c. 6. pag. 55.

ordines diu, neque poterat ita ſe in vnam partem inclinare, quin illico, in alteram reuocaretur. Statuit ergo rem tandem ſorte dirimere, quando aliter illi non conſtabat diuina voluntas. Ne tamen Deum tentare, aut debitam reuerentiam non adhibere videretur, religioſos, religioſáſque Sortini habitantes, qua maxima pietate atque vi potuit, rogauit, vt Numini negotium ſuum etiam, in orationibus, commendarent. Adiunxit ipſe non preces tantùm, ſed & eleemoſynas, & ieiunia, & alia exercitia virtutis. Sic inſtructus, duas chartulas, duarum Religionum D. Franciſci, & Societatis IESV nominibus inſcriptis inſignitas in calicem iniecit, extraxítque ſortem Societatis ineundæ. Explicari non poteſt, qua lætitia hoc acceperit Franciſcus; quòd, eo ſigno, ſe, de diuina voluntate confirmatum exiſtimaret, quam vnam deſiderabat adeò vehementer & quærebat. Virtus poſtea, & ſanctitas, famáque totius illuſtriſſimæ vitæ docuerunt, ſortem benè cecidiſſe. Multa alia eiuſcemodi poſſent adduci, quæ oſtendunt, ſine oratione, *Sortes* nunquam conſulendas eſſe; ſed ne in infinitum eamus, hæc ſufficiant. Certè, quia S. Auguſtinus

S. Aug. l. 4. ſuper Geneſ. cap. 23. S. Ambr. l. 4. epiſt. 14.

dicit: *Solent, quæ ſorte dantur, diuinitus dari, & quod ſorte legitur*, vt ait S. Ambroſius, *humano iudicio non comprehenditur*, idcirco decentiſſimum eſt, vt, quæ diuina ſunt, diuina oratione ſtudeamus impetrare.

§. X.

*Libri apertione, velut ominata Sorte, ſe conſolatur S. Gregorius Turonenſis.*

S. Greg. Turon. lib. 5. hiſt. Franc. c. 47.

Quintum documentum. Librũ aliquem pium, etiam ſine iuſſu, aut ſuaſu diuino, aperire, & ex primo, qui occurrit verſu, non futura & curioſa cognoſcere, ſed conſolationem duntaxat, aut doctrinam piam quærere velle, non eſt illicitum, ſed pijs hominibus vtiliter conſuetum; etiamſi vel caſu, vel diuino nutu, reperiatur, quod reuera euenturum eſt. Ita euenit S. Gregorio Turonenſi, vt de ſe ipſe refert. Leudaſtes impius, cum eiuſdem farinæ ſocio Riculfo, varijs Gregoriũ Turonenſem machinis oppugnauerat, calumnioſè deferendo, tandem etiam auſus eſt, Platonem Archidiaconum & Gallienum amicos eius in vincula dare, catenisque & calumnijs oneratos ad reginam mendacijs incenſam ablegare. *Hæc ego audiens*, inquit Gregorius, *dum in domo Eccleſiæ reſiderem, mœſtus turbatúsq; ingreſſus*

*greſſus oratorium Dauidici carminis ſumo librum, vt ſcilicet apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. In quo ita repertum eſt* : Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. *Interea ingreſsis in fluuium ſuper pontem, qui duobus lintribus tenebatur, nauis illa quæ Leudaſtem vehebat, demergitur: & niſi nandi fuiſſet adminiculo liberatus, cum ſocijs forſitan interijſſet. Nauis verò alia, quæ huic innexa erat, quæ & vinctos vehebat ſuper aquas, Dei auxilio, eleuatur* &c. Quod & verſiculo Pſalmi reſpondit, &, quæ poſtea euenerunt, ſignificauit. Nam innocentia è fluctibus his emerſit, & calumnia naufragium fecit, mala omnia, quæ machinata fuerat, in capita authorum retorquens. Ad hunc modum, vt ſupra memoraui, à multis pijs viris hodiéque, libellus *de Imitatione Chriſti*, tempore tentationis aut tribulationis, aperitur, ſempérque aliquid occurrit, quo mens eorum roboratur, & ad aduerſa toleranda confirmatur.

## §. XI.

*SS. Menſtruorum ſortitione multos vtiliter moneri, de moribus emendandis; aut, quòd mortem in procinctu habeant, quam ſubeſſe non arbitrarentur. Et cautelæ circa menſtruorum Sanctorum abuſum.*

Eodem poteſt reduci menſtrua Sanctori ſortitio, ſupra à nobis laudata; in qua non ſolùm pij homines ad cultum Sanctorum excitantur, ſed ſæpe etiam, diuina diſpoſitione, eius quis virtutis commonefit, qua maximè indiget; aut illo vitio abſtinere iubetur, cui præcipuè indulget. Quin & ſententia perſæpe fuit accipienti ſchedam valde accommodata. Scio cuidam, *Meditationem mortis*, eo menſe, obueniſſe, quo mortuus eſt: alij eodem die. Cuius rei vel hoc ipſo, quo iſta in lucem eduntur Anno Chriſti 1644. duo recentia exempla contigerũt, vnum mihi domeſticum, alterum vicinum. Fratrem Ingolſtadij habuimus induſtrium, laborioſum, diligentem, nomine Ioannem Nicolai Steingadenſem, omnibus de pietate & fraterna charitate acceptum. Is prid. Cal. Februarij ſanctum menſtruum, de more, accepit; qui erat S. Blaſius, cuius feſtus dies in tertium Februarij incidit. In ſcheda Sancti non ſolùm *Meditatio mortis* illi cõmendabatur, verùm etiam ſententia ipſa vigilem eſſe iubebat. Tertio poſtea Februarij die, non procul Voburgo, cõmuni via, per riuum reſolutis niuibus repentè profundum ac rapidum, in curru, tranſiturus aquis

aquis hauſtus eſt; cum pridie, poſt peccatorum ſuorum confeſſionem, ſacroſanctã Euchariſtiam, velut in viaticum, præſumſiſſet. Subita ea mors fuit; ſed, ne improuiſa eſſet, ſanctus eũ menſtruus admonuit. Et verò illum monitionis memorem fuiſſe, teſtata ſunt gemina flagella, quæ, cum Roſario, apud eum defunctum, reperta ſunt. Nempe dum etiam, ex negotio, itinera faceret, corpus admonere voluit, ne exorbitaret. Atq; hoc eſt domeſticum exemplum. Alterum vicinũ, ad Ingolſtadienſem hanc Academicam Sodalitatem Partheniam; maior Congregatio Landiſhutana, his verbis perſcripſit. *Extulimus, his diebus, funus, chariſsimi Sodalis, Nobilis Domini Onuphrij Kreitmair: qui olim Ser.mo. Electori Bauaro à cubiculis, ad extremum præfectus Arci Landishutanæ fuit: vir magnis & religioſis etiam virtutibus ornatus: vt videri poſſet, in templis potiùs, & Marianorum ſodalium cætu, quàm domi ſuæ degere: tam in illis, vt & ſacramentis obeundis, frequens erat. vtq; viuus, publicum exquiſitæ pietatis, ac integerrimæ vitæ fuit exemplar, ita mortuus, tum ciuitati noſtræ, tum nobis inprimis dedit lugendi argumentum. Lentum hydropem, aliaque fatalis morbi incommoda inuicta patientia ita*

*toleravit; vt nullo quidem acerbioris vitæ faſtidio, ſed diuinæ voluntati, cui ſe totum permittebat, obſequendi alacritate, mori geſtiret: quam in rem pridie, quàm obiret, in ſortitione Diui menſtrui mortem meditari eſt iuſſus. Vitam itaque, quam adeò inculpatam exegit, cũ morte, vel rectiùs cum meliori, vt ſperamus, vitâ commutauit. Pro cuius anima, vt ſumus diuinæ ſententiæ ignari, DD.rũ VV.rum piaculares ex fœdere preces imploramus: idem, in pari causâ, cum fide præſtituri. Landishuti 6. Martij. 1644.* Illuſtrius quiddam ſubiungam. De Anna Caroli Auſtriaci filia, Ferdinandi II. ſorore, Sigiſmundi III. prima vxore, Vladiſlai Regis, hodie Polonis imperantis matre legimus, eam *Tutelarem ſibi, in menſes ſingulos alium, pro Sodalitatum Deiparæ ſacratarum more, ſortitò delegiſſe, cui dum inſcriptam ſententiam acciperet:* Memento homo, quia puluis es &c. *ceu mortis commonita, omnibus ſe muniјt, ad obitum, Sacramentis, ac diſceßit è vita An. 1598. Pietatis, Religionis, Innocentiæ, Clementiæ, Modeſtiæ, Caſtimoniæ, verbo, virtutis ſpeculum.* Sancto virtus aliqua, aut actio virtutis aſcribitur, illo menſe, inprimis exercenda. Iracundo & ignoſcere nolenti *manſuetudo*, & commemo-

**Ex Geniis Philippi VVilhelmi Com. Palatini in Oliua Iagellonia.**

memoratio patientiæ Chriſti, in ſcheda porrecta eſt, & profuit. Nam, poſita ira, inimico ignouit, & poſtquam illam ſententiam legit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*, aduerſarium ſalutare ſuauiter, eíque benefacere cæpit. Mille hîc ſeſe exempla offerunt, vno adhuc contentus ero, quod Anno 1606. Ingolſtadij itidem contigiſſe in hunc modum narratur: *Iuuenis fuit, qui, vt vel morbi ſæuitiem, vel certè Mundi blanditias euaderet, DEO ſeſe deuouit, & Religioſo ſtatui. Morbus abyt, & breui pòſt, bonum hoc propoſitum cum illo. Senſim enim quidquid pietatis in morbo hauſerat, euanuit, & ità iuuenis iſte, poſt reſtitutam corporis valetudinem, ægrotare primùm cæpit animo, & poſt perſanatum morbum, peiùs habere. Principiò quidem feruebat, & volabat, pòſt paullo lentiùs ibat, deinde ſtabat. Sed nec diu, nec impigrè; mox languere incipiebat; tandem apertè vitiorum dulcedini ſuccumbebat. Nam mundi facies, quæ priùs terrebat, iam arridere; religioſus ſtatus, qui antea placebat, iam terrere; ſocietas bona, qua gaudebat, diſplicere incæpit. Ita miſer tam ſuauiter & facilè obliuiſci potuit primùm*

Epheſ. 4.

Hierem. Drexel. l. 2. Triſmegiſti, c. 7. §. 3.

mùm voti ſui; dein ſui ipſius; poſtea cœli; demum ipſius Dei. Ita paullatim per gradus ibat, ſed non ad cælum: tendebat in præceps, ſed via molli & clementer decliui. neq; enim repentè peßimus factus eſt; at qui hodie fuit aureus, cras vix argenteus repertus eſt: breui poſt æreus: exinde ferreus: deniq; factus eſt luteus, & ipſum cænum. Ita prodigus ille Euangelicus primò patrimonium repetijt: hoc impetrato, in regionem longinquam abijt, parentiſq; oculis ſe ſubduxit. Neq; hic ſtitit: praua etiam ſocietati ſe iunxit. Nondum finis. Ea tandem fecit, quæ ſocij & ſociæ; gula & luxuria in quotidianos mores tranſierunt. Ita, ad mentem Siracidæ, eſt proceßio in malis viro indiſciplinato. Hoc plane modo iuuenis ille, de quo cœpi dicere, ſenſim ſeipſo deterior factus eſt, & è ſancto, progreſſu temporis, in improbum mutatus. Hoc ferè ſolùm retinuit boni, quòd Beatißimam Virginem & Marianæ Congregationis cœtum non penitus deſeruerit, ſed ſubinde ſe præſentem ſtiterit, ſaltem in ceremoniam. Ita factum eſt, vt, ſtato die, cum ceteris, MENSTRVVM SANCTVM acceperit, & quidem SORTE prorſus diuina. Nam ſententia quæ pronunciata eſt, dum ille, ante crucifixi ſignum, ex more, flectit genua, è mellifluo docto-

Eccli. 20. 9.

re Ber-

*re Bernardo tranſcripta erat, hiſce omnino verbis: Quid tardas ipſum, quem iam dudum conceperas, ſpiritum parturire ſalutis? nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis. quo modo viuere potes, vbi mori non audes? Audijt hæc iuuenis tacitus quidem, ſed, quaſi fulmine ictus, monitorem è cælo agnouit; & illo ſtatim die fugam è lubrico in tutum parauit, altera verò luce, hilaris & alacer ad Religioſam domum contendit, ijsq́; ſe aggregauit, quos diu fugerat, victurus illic, vbi mori non trepidaret.* Sic multos tetigit Deus ſorte chartacea, & veluti ceruos fugientes iaculo amoris vulnerauit. Tria tamen hîc monenda cenſeo. Primum, eiuſcemodi ſententias Sanctis Menſtruis ſubiunctas, ſemper poſſe trahi in vtilitatem, ſi aut virtutem inde diſcamus amare, aut vitium deteſtari, de quo ſententia meminit. Secundum, vti non eſt mens Congregationis alicuius, per eiuſcemodi ſchedas hariolari, aut futura pandere; ita neminem Panico terrore ſibi perſuadere debere, diuinare ſe inde poſſe, aut conijcere, quid in hac vita immineat. Nam, v. g. licet vitam emendare poſſit, ne morte præoccupetur, qui in Menſtruo ſancto *memoriam Mortis* exercendam accepit; ſtultiſſima

S. Bern. epiſt. 105. ad Romanum, Rō. curiæ Subdiaconum.

ma tamen ſe anxietate cruciaret, ſi inde certò exiſtimare vellet, ſibi illo menſe eſſe moriendum. Tertiũ eſt; peſſimos eſſe Sodales qui, dum nihil penſi habent, de quo morbo ipſi, per eiuſcemodi ſuffragia, moneantur, tamen ſitientiſſimè attendunt, quid alijs legatur; putántque ſiniſtram ſuam de alijs opinionem, etiam diuino teſtimonio, per eiuſmodi ſententias, confirmari. Quare ſi humilitas alicui commendatur; ea medicina iudicant, ſuperbiam eius notari; ſi liberalitas; En, aiunt, qua virtute indigeat auarus? Nempe hic eſt aſtus mali dæmonis, vt pietas abeat in riſum; & metuat accipere Sodalis, vnde erubeſcat.

§. XII.

*Quænam Sortes diuiſoriæ licitæ ſint, & quibus conditionibus?*

Sextum documentum. *Sors diuiſoria Politica ciuilis* licita & vtilis, ac aliquando penè neceſſaria eſt. Licita, quia iure ac probis legibus recepta, & conſuetudine optimarum Rerump. confirmata eſt. Hac ſorte vſi ſunt Romani (& Siculi Athenienſes ſecuti) in iudicibus legendis, prouinciiſque aſſignandis, item in hercíſcunda familia, in militia; & cùm dubium eſſet, qui

Sigon. lib. 2. de iudic. c. 12. ex Aſconio. & lib. 3. de

qui primi cauſſam in iure dicere deberent, aut cùm de optione pluribus relicta, de hæreditate, & bonis diuidendis, de ſeruis manumittendis ageretur. Quæ omnia permittunt iura ciuilia. Idcirco dixi: *Sortem diuiſoriam ciuilem* licitam. Nam conſtat, nunc planè, in Eccleſiaſticis beneficijs, dignitatibus, ac Epiſcopo eligendo, *Sortis* vſum perpetuò eſſe prohibitum. *c. vltim. Ex. de Sortileg. in fi.* Vnde ſortitione eligi non poteſt Epiſcopus. *l. ſacris 47. C. de Epiſcop. & Cleric.* multò igitur minus Papa, qui eſt ſummus Epiſcopus. Cum enim in his eligendis certa à iure præſcripta ſit forma. *c. quia propter. 42. Ex. de electiõ.* nemini integrum relinquitur, ab ea recedere; vt Iaſon aliíq; ratiocinantur. At verò in ſecularibus dignitatibus, officijs, actionibus, pœnis, rebúſque alijs *diuiſoriam ſortem*, qua quid cuiq; tribuendum ſit, quæritur, non eſſe vetitam, clarum eſt, ex cap. primo. 26. q. 2. Hoc genus ſortis eſt, inter mortales, vſitatiſſimũ, &, vt ſuperiùs vidimus, à S. Auguſtino, atque à S. noſtro Ignatio vſurpatum. Ne autem, etiam hîc peccatum ſubrepat, monent Theologi. 1. Euentum, non à *Caſu* aut *Fortuna*, aut aſtris, ſed à Deo expectandum,

Rep. Athen.

L. 14. D. de iudic. L. 2. C. quando & quibus quarta. l. 10. l. 3. C. de legit. Vide Mynſinger. 4. obſer 37. Iaſon. in d. l. huiuſmodi. 86. §. Si is cui de legat. 1. n. 15. Gottfredus Hoſtienſ. in ſumma Decretal. tit. de Sortilegijs. Delr. l. 4. c. 4. q. 1.

Pſal. 30. in cuius ſolius *manu* ſunt *ſortes noſtræ*, teſtè Propheta, 2. Sortem debere eſſe ſimplicem, ſine vlla ſuperſtitione & abuſu ſacrarum rerum. 3. Illos, qui ſortiuntur; æquali iure niti oportere, alioqui enim iniuſta eſſet ſortitio; poſſet enim ſors v. g. in officio publico aſſignando, cum damno Reip. & iniuria digni, indigno fauere; aut illi cui de mille florenis tantùm decem deberentur, centum addicere. 4. Mentem præcipuam ſortientium non debere eſſe, vt inquiratur voluntas Dei, modo extraordinario (cum talis modus ſit prorſus incertus) ſed vt tollantur lites, diſſidia, querelæ, inuidiæ. Atq; hinc vtilitas, & propemodum etiam neceſſitas eiuſcemodi Sortium oſtenditur à Salomone

Prou. 18. 18. dicente: *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Certè ſæpe aliter non poteſt inter partes conueniri, tunc ergo bonum pacis non ſolùm permittit iudicium ſorti, ſed etiam propemodum exigit. Ex quibus omnibus manifeſtum fit 1. rectè in militia, duces, ſorte ſeligi, qui primi, qui poſtremi vrbem inuadere, muros conſcendere, aut in acie ſtare debeant. 2. plures æqualiter reos milites, licitè de vita, vel reſti ſortiri poſſe. 3. iuſtè, tempore graſ-

ſantis

ſantis contagij peſtilentis, ſortiri corporum pariter, ac animarum medicos, quis eorum permanere in auxilium ægrotantium debeat: quod etiam ſupra vidimus ex mente S. Auguſtini, tempore hoſtilis perſecutionis, factitatum. 4. licitum eſſe, etiam coorta tempeſtate, quis ex omnium conſenſu, è naui exoneranda ſit ſpargendus; aut quis ad hoſtem deprecatum, per tela, per ignes, mittendus. 5. eleemoſynas quoque ipſas, ſi incertum ſit, cui cedere debeant, ſortitò poſſe diſtribui.

## §. XIII.

*Sitné licitus ille contractus Sortis, qui vulgo Fortunæ vrna ſolet appellari?*

Huc reuocari poteſt *contractus Sortis*, quem *ludum ollæ*, aut *Fortunæ ollam* vocant; itémque ij, qui aleam iaciunt, ſtatuto precio perſoluendo, Symbolam conferentes, vt illius ſit liber, aut enſis, aut annulus, cui alea addicit. Eſt enim & hoc genus ſortiendi permiſſum, nec ſecundùm ſe eſt aliud, quàm *ſors quædam diuiſoria* ex beneplacito conſortientium inſtituta, nec vlli aut diuino, aut humano iuri aduerſa, ſi nulla fraus rem ſorte acquirendam exponentis, aut expoſitam acquirentis interue-

ueniat; quod, in publicis ludis, cauere, pertinet, ad magiſtratum; in priuatis, ad conſcientiam vniuſcuiuſque. Mille enim ſunt modi alios decipiendi, aut peccandi. Nam qui mercem, in taberna, exponit (eámque verè, etſi implicitè, vendit omnibus illis, qui ſymbolis collatis ſummam conficiunt precio ſupellectilis expoſitæ æqualem) poteſt precium iniuſtum nominare; aut ſchedulas pecunia emendas nimium multiplicare; aut etiam vni, præ alijs, clam dare chartulam, in qua ſcyphus argenteus, vel equus, vel aliud brauium eſt annotatum. Quæ omnia iuſtitiæ ſunt aduerſa. Item Princeps vel Magiſtratus ipſe poteſt peccare; ſi aut merces mutari vel minui permittat primò expoſitas; aut aliquas merces priùs patiatur extrahi, ijs, quæ ſunt precioſiores, in vltimum locum ac tempus reiectis, vt ſortientes alliciantur; aut etiam; ſi ſinat vrnas in manu exponentium merces, eáſque noctu non ſignet, aut cuſtodiat: aut ſi plures, quàm neceſſe ſit miniſtros cuſtodéſque apponat, quorum ſtipendijs populus grauetur, quando ſtipendia precio rerum adduntur. Deniq; & ipſi miniſtri à magiſtratu conſtituti, poſſunt corrumpi, aut negligenter inuigilare,

ne

ne quid fraudis admittatur. His talibus dolis & culpis ſemotis, ſors, ſeu *vrna Fortunæ* licita eſt, & ſæpe à Domino Deo in ſubſidium pauperis alicuius temperata, vt pro ſeſtertio equum, aut crumenam auro turgidam accipiat, pro triobolo. Sæpe & auarum centum Philippeis in vrnam atque hamum miſſis, non ſinit extrahere, quod teruncio quoque emeret. Nimirum *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat & ſubleuat*. Quia *ipſe Dominus Deus noſter: in vniuerſa terra iudicia eius*. 1. Reg. 2, 7. 1. Paralip. 16. 14.

## CAPVT. III.

### *Quàm peruersè Deum, in Sortibus, imitetur, Dei ſimius Cacodæmon?*

### §. I.

*In Sortibus magna cautela opus.*

MOnſtrata via, qua dirigenda eſt nauis, etiam digitus ad ſcopulos intendendus eſt, ne naufragiũ faciamus. Sunt enim infames hîc ſcopuli, ſunt Syrtes, ſunt Charybdes, ſunt Acroceraunia. Ad quæ declinanda rurſum tradenda ſunt documenta. Neq; enim ſemper, aut temerè, ad indicium Sortis, licet recurrere;

immo ſæpius non licet, diuinis humaniſque legibus obnunciantibus.

§ II.

*Sortes non idcirco vſurpandas, quia in veteri teſtamento, aut à quibuſdam Sanctis vſurpatæ fuerunt.*

Primum documentum. Sortes etiam in Scripturis narratæ, & à quibuſdam Sanctis vſurpatæ, non idcirco nunc etiam omnes licitæ ſunt. De Sanctis conſtat, eos, ex peculiari Dei inſtinctu, quædam miranda magis, quàm imitanda feciſſe. Nimis diu alijs expectandum foret, ſi domum redire nollent, donec eis proiectas in mare claues piſcis referret, vt S. Bennoni & S. Maurilio contigiſſe, ſupra meminimus. Neque vaccarum aut mularum aliorúmq; animalium iudicio, aut indicio potiùs, permittendum eſt, quà eundum ſit: tametſi, in veteri Teſtamento, vaccis ita arca ſit impoſita; & camelis, ſine duce, ituris ad S. Frontonium commiſſus commeatus; aut ab Ignatio mulæ permiſſum, vtram ingredi viam vellet. Adde, & Sanctos non ſemper ab infantia fuiſſe ſanctos; neque omnia, quæ vnquam fecerunt, ſancta arbitranda; cum homines fuerint, & ſubinde, vt homines errârint.

1. Reg. 6, 7.

Com-

Communis via tutiſſima; præſertim mortalibus, quibus eſt cõmunis vita. Certè, ne qs ſeipsũ decipiat, ſi in SS. litteris legat *Sortes* adhibitas. Prudentiſſimè, poſt S. Hieronymum & Bedam, monuit Gratianus, eiuſcemodi *Sortes* ad noſtra tempora nõ pertinere: quia illa ſortitio *cærimonialis* fuit. Itaq; cum veteris legis cærimoniarũ abrogatione, iſta quoq; ſortitionis cærimonia ſublata eſt. Qua ipſa de cauſſa monet Beda, Apoſtolos, ante S. Spiritum acceptum, in electione Matthiæ, adhuc legali cærimonia vſos fuiſſe; poſtquam autẽ Spiritus S. in eos miſſus eſt, nullam deinceps *Sortem*, ſed ſolam orationem, cum ieiunio, adhibuiſſe. Vnde poſtea ſeptem Diaconos, & Presbyteros ſic elegerunt. *Sane, cum Saluator, qui fallere non poteſt, nec falli, cuncta promittat orantibus; ſtultum & abſurdum eſt, relicta oratione, quæ promiſſionem habet; confugere ad Sortem, cui ſe adfuturum Deus, in nouo teſtamento, non repromiſit.*

Beda in c. 1. Act.

Act. 6. & 14.

Matt. 7. 7. Ioan. 14. 13.

Delrius l. 4. diſquiſ. c. 4. q. 1.

## §. III.

*Illicitas eſſe, in nouo Teſtamento, Sortes, quibus, ſine peculiari Dei diſpenſatione, aut inſtinctu, res occultæ, futuræq́, curioſè indagantur.*

Secundum documentum. Multò minùs licita eſt *Sors*, ſi ad occulta quaſi miraculosè detegenda vſurpetur. Eſto olim & hæc licita, & à quibuſdam Sanctis, etiam noui Teſtamenti, diſpenſante Deo, fuerit adhibita. Quia quando Deus ſibi aliquid reſeruat, non licet id homini, abſque ſacrilegij impietate, ſcrutari, vt è D. Thoma Fernandus Vaſquius docet. Certè, ob eiuſcemodi *Sortes*, multi in Idololatriã lapſi ſunt. Quam ipſam ob cauſſam, variæ grauéſque pœnæ in Sortilegos conſtitutæ reperiuntur. Cum enim occulta hominum facta, quæ per haruſpicia, vel auguria, vel *diuinatorias ſortes*, inquiruntur, nequeant ſciri, ſi Deus non reuelet, neceſſum eſt, dæmonis ope, adeóque Stygia ſuſpicione aut ſcientia talia velle, ſcire eos, qui *Sortibus* occulta indagant: ſicut & qui, per *Sortes* conantur futura contingentia prædicere, in quales lata eſt excommunicationis ſententia, c. ſi quis Epiſcop. 26. q. 5. & qui per *ſortes conſultorias*, inquirunt, quid faciendum, iudicandumúe ſit: quæ itidem ſub anathemate, prohibita ſunt; cum non fas ſit huiuſmodi res, niſi à Deo inquirere; Deus autem, in noua lege, ordinariè non velit nos ſuam voluntatem,

Fernandus Vaſq. lib. 1. Illuſtr. Cõtrouerſ. cap. 49. n. 19. De his pœnis. 26. q. 2. 3. 4. 5. & tot. tit. Ex. de Sortilegijs; & apud Lucã de Penna in l. me- meminimus. C. quam. & quibus quart. pars. lib. 10. c. ſortes. 26. q. 5

per

per *Sortes*, indagare. Vt enim maior & perfectior coniunctio dependentiáq; eſſet, placuit illi, vt diuinam eius voluntatem à doctrina Eccleſiæ; à ſacris litteris eiuſdem Eccleſiæ ſanctorúmque Patrum authoritate declaratis; à ſuperioribus noſtris; à Cõfeſſarijs, ab alijs doctis piiſque viris, non autem à *Sortibus*, diſceremus. Quin neque in veteri lege eiuſcemodi ſortes ac ſigna, ſeu omina licita fuêre, niſi illis, qui ad eiuſcemodi ſigna à Deo moti inſtigatíque fuerunt. Vnde, malè ominati ſunt Philiſthæi, qui ex vaccarum arcam Domini vehentiũ, itinere greſſúque, coniecerunt, an plaga eis immiſſa à Deo, an à caſu obueniſſet. 1. Reg. 6. 7.

§. IV.

*Sortem, in dubio iuris, non facti, & , ſine præiudicio tertij, eſſe adhibendam.*

Qua ipſa de cauſſa etiam Iuriſconſulti docent, non cuiuis & indiſtinctè integrum eſſe, *ad iudicium ſortis* recurrere; ſed tum demum, cum dubium de iure vertitur; factum autem certum eſt. Si enim de ipſo quoque facto ambigeretur, *ad Sortis arbitriũ* idcirco non concedunt deuenire, *quòd facta legitimè & plenè per eum probari debeant, qui intentionem ſuam in his habet fundatam.* Monet

Accurſ. in l. 1. verb. phi-bebit. C. Vti poſſi-det. Iaſon in l. ſi duobus 3. c. comm. de legat. L. ei qui

net Ang. Aretinus, ſi *Sorti* debeat eſſe locus, de præiudicio tertij agendum non eſſe. Quin Baldus aliique ſtatuunt, caſus illos, in quibus *Sortem* adhibere velis, à iure expreſſos eſſe oportere. *Sorte* igitur, res dirimitur, ſi plures, quibus optio legata eſt, diſcordes ſint, in eligendo: ſi de deponendis, apud aliquem, inſtrumentis agatur: ſi dubitetur, quinam prior cauſſam dicere debeat: ſi, de ſeruis manu mittendis, quæſtio ſit: ſi de diuiſione bonorum, inter cohæredes, facienda controuertatur: item ſi de liberis diuidendis agatur. His talibus in caſibus *Sortis iudicio ſtandum* cenſent, ſi quidem vtraque pars conſentiat, vt *Sortis iudicio* controuerſia dirimatur; alterutra enim diſſentiente, nihil agi, fatentur. Igitur dubium iuris, non dubium facti iura *Sorti* permittunt.

ff de probat. l. actor C. eod tit. Iaſon. in l. huiuſmodi. 86. §. ſi is cui de legat. 1. n 17. Angel. Aretin. in §. Optionis. Inſtitut. de legat. n. 2. Angel. Aretin. in §. Sed ſi ex teſtamẽto. Inſtit. de ſatisdat. tutor. n. 4. Bald. in l. meminimus. C. quando & quibus quarta pars, lib. 10. Alciat. in l. Gallus. 29. ff de lib. & poſthum. n. 65. Vide Guidonem Pancirollum lib. rer. memorab. cap. Fibula.

## §. V.

*Sortem conſultoriam etiam olim rariùs adhibitam, quàm diuiſoriam; nunc maximè eſſe cauendam.*

Quin, in veteri quoque lege, *Sors diuiſoria*

*ria* longè frequentiùs, quàm *conſultoria*, fuit vſurpata. Et quanquã etiam in facti dubio, aut, per conſilij modum fuerit adhibita: id tamen non eſt nunc, alia ſub lege, in exemplum trahendum: cum penes Deum ſit, ſua ſecreta reuelare, prout ipſi placet. Noſtrum non eſt, illi modum præſcribere, illius eſt modum concedere. *Sorte* deprehenſum eſt furtum Achan; & Ionathæ præuaricatio: quis nunc timens DEVM ſic audeat fures indagare, aut deprehendere præuaricatores? At illi, qui DEVM non timent, quorum vox eſt: *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo*, illi nihil penſi habent, à Superiſne, an ab Inferis auxilia tententur. Hinc Stygiæ illæ artes, vt motu cribri verſatilis è forfice pendentis; per lancem item & licium, quem modũ Sextus Pompeius deſcribit; aut herbâ certâ, piſiſúe è butyro, aut lebete ſalientibus; & neſcio quibus non modis, (ſunt enim ferè ſine numero, quia ad anicularum arbitrium) examinent indagéntq; aut furti, aut calumniæ, aut alterius facinoris authorem. Quaſi non aut caſu talia fieri; aut mentiri in innocentes dæmon poſſit. Neq; enim ſufficit dicere: Ego dæmonem non inuoco. non inuocas verbo; re tamen ipſa v-

Ioſue. 7. 18.
1. Reg. 14.
Virg. lib. 1.

c 2. de ſortileg. c. ſi quis Epiſcop. 26. q. 5.

teris illius ope; ſine qua talia ſciri non poſſunt, Deo iam dudum extraordinarios eiuſcemodi modos deteſtato. Quare non nemo, qui per aſtrolabium conatus fuerat furem occultum noſſe, etiam ſine intentione dæmonem inuocandi, ab altaris miniſterio fuit ſuſpenſus, per annum; idque ex gratia ac diſpenſatione: nam ſecundùm ius commune, in perpetuum, ſuſpendi debuiſſet. Sunt enim non expreſſa tantùm, ſed etiam tacita, cum hoſte, pacta, inhoneſta.

## §. VI.

*Sortiendi varia genera, implicitum cum cacodæmone pactum inuoluentia, & hinc illicita.*

Hoc dicunt plerique, ſe pactum cum Orco non habere: implicita ſunt tamen hæc pacta; cum patre mendacij vtique non ineunda. De hoc cenſu videri poſſunt, qui olim ab Ezechiele reprehenſi ſagittis ſortiebantur: *Stetit rex Babylonis*, inquit, *in biuio, in capite duarum viarũ diuinationem quærens, commiſcens ſagittas. interrogauit idola, exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem.* Quem ſortiendi modum S. Hieronym⁹ ſic exponit: *Stabit in ipſo compito, & ritu gentis ſuæ, oraculũ conſulet, vt mittat*

Ezech. 21. 21.

S. Hierõ. in c. cit.

tat ſagittas ſuas in pharetram, & cõmiſceat eas inſcriptas, ſiue ſignatas nominib⁹ ſingulorũ, vt videat, cuius ſagitta exeat, & quam priùs ciuitatem debeat oppugnare. Ex mente igitur S. Hieronymi, his fuit pharetra pro vrna; & pro calculis aut ſchedis ſagittæ. Sed verba Ezechielis (*ad dexterã eius facta eſt diuinatio ſup Ieruſalẽ*) confirmant eorũ ſententiam, qui putant commixtas ſagittas in aërem iactas, & in quam partem caderent, dexterã, an ſiniſtram, verſus Rabbath, an Ieruſalem, obſeruaſſe. Quia autem idem Hebræum verbum *commiſcens ſagittas*, etiam ſignificat *læuigauit*, aut *poliuit ſagittas*, non deſunt, qui arbitrentur, tangi augures, qui in ſplẽdenti cuſpide, velut in cryſtallo, aut vngue, futura inſpiciebant. Sed veroſimilius eſt, hîc caſtigari genus diuinandi, quod Græci βελομάντειαν, quàm quod *Catoptromanticum* nominant. Quò etiam refert D. Hieronymus id, de quo Oſeas ait: *Populus meus in ligno interrogauit, & baculus eius annunciauit ei.* Theophylactus hunc ritum ita explicat: Virgas duas ſtatuentes, carmina & incantationes quaſdam ſubmurmurabant: *deinde virgis, dæmonum operatione, aut affectu, cadentibus; conſiderabant, quonam*

Oſeæ. 4. 12.
Theophyl. in cit. loc. Oſeæ.

vtraq;

*vtraq; earum caderet, antrorſúmne, an retrorſum; ad dexteram, vel ſiniſtram. Sicq; tandem reſponſa dabant inſipientibus, virgarũ caſu, pro ſignis, vſi. Eundem ad modum Nabuchodonoſor vaticinabatur, vt Iezekiel habet.* R. Moſes Samſonis F. ritum ſic exponit: Decorticabant bacillum ligneum, vno tantùm ex latere, tum in aërem proijciebant. Si fortuito caſu, primo iactu apparuiſſet ſuperior pars decorticata; ſecundo autem iactu ſuperior pars adhuc veſtita, proſperum ſucceſſum augurabantur: ſin primùm prima pars veſtita, infelicem: ſi vtroque iactu veſtitum, vel nudatum latus ſuperiùs fuiſſet, mixtum euentum ſibi pollicebantur. Vt vt ſit, reperit Acheronticus Alaſtor, in omni ſuperſtitionis modo, imitatores. De antiquis Germanis, per amputatos, è fructifera arbore, ſurculos, ſupra candidam veſtem, ſpargentibus, conſtat ex Tacito: de Perſis & Scythis, per myricinas ſalignáſque virgas, vaticinantibus, docet Cælius Rhodiginus & alij. Eundem morem Turcas Scytharum progeniem retinuiſſe Collenucij hiſtoriæ teſtantur. Sed & noſtra tempora retinent antiqua vitia. Neque enim Sueci tantùm, velut diuina qua-

R. Moſes in explicat. præcepti negatiui. 52.

Tacit. de morib. German. Cæl. Rhod. lib. 7. antiq. lect. c. 29. Herodot. l. 1.

quadam virgula, aurum argentúmque, vbi lateat, norunt hariolari; ſed alij quoque conceptis verbis efficiunt, vt virgula recta, ad nomen rei, quam indagant, ſponte ſua, iunctis extremitatibus, in circulum coëat, & à cornibus velut lunetur. Strabo. l. 15. Collenuc. l. 1. Rer. Neapolitan.

§. VII.

*Quantus, in virgæ Sortibus, Dei ſimius ſit cacodæmon?*

Nimirum inſignis Dei ſimia eſt diabolus. Quem non poteſt imitari, æmulatur. Scit olim Aaroni, virgula florente, ſacerdotij prærogatiuam obtigiſſe, dicente Domino: Num. 17. 2. *Loquere ad filios Iſraël, & accipe ab eis virgas ſingulas, per cognationes ſuas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuſcuiuſq; nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas ſeorſim familias continebit: ponésq; eas in tabernaculo fœderis, coram teſtimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius.* &c. Geſſit & Moyſes res prodigioſas, per virgam. Sed diuina vis non eſt perinde omni virgæ alligata. Itaq; ſicut Pharaonis *malefici fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter: proiecerúntq; ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt* Exod. 7. 11.

*ſæ ſunt in dracones:* ita hodiedum cacodæmon homines dementat, vt dum ſunt Orcini, ſibi diuini eſſe videantur. Illi ſcire debent, antiquam hanc eſſe antiqui ſerpentis artem, vt ſe in Angelum lucis transfiguret, fallaciſſimáque promiſſione dicat: *Eritis,*
Gen. 3. 5. *ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Accedit, hoc tempore, *diuinatoriam ſortem* nec iuſſam à Deo, nec, ſine peculiari inſtinctu Dei permiſſam; ſicut adhuc permiſſa fuit, quando B. Dei mater Ioſepho ſponſa data eſt, itidem virga eius germinante, vt quidam piè credunt.

## §. VIII.

### *E nominibus, aut libris Sortes diuinatoriæ quam vanæ, quámque impiæ ſint; & a quibus magnatibus vſurpatæ?*

Sueton. in Auguſto & Tiberio.

*Diuinatoriæ ſorti* olim valde dediti fuerũt Auguſtus, Tiberius, itémque rex Pergami Attalus. Vtinam & nunc non etiam multi magnates ſe ſinerent in hoc barathrum præcipitari, vt conſilia matrimoniorum, bellorum, aliorúmq; negotiorum *ſorti* committerent! Vidi homines, non de plebe, qui ex nominibus, mero parentum arbitrio impoſitis, fauſta infauſtáue matrimonia omi-

minabantur, dicebántque, vter coniugum priùs eſſet è vita diſceſſurus. Quæ eſt ſuperſtitioſa *Onomantia*, à Græcis, in nomine Aſtyanactis, & ab Auguſto, in nomine Niconis, obſeruata. Quid ſi parentes alia nomina impoſuiſſent, num fortunam mutaſſent filiorum? Quod ſi ita eſt, obſeruarent vtiq; homines, quænam nomina ſint malè ominata, quæ fortunam ſecundam afferentia: & ſtultiſſimi eſſent, ſi non omnes filios ſuos, Victores, Victorinos, Valerios, & Alexandros potiùs, quàm Priamos appellarent. Verum eſt quidem, *Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis*: & *Nabal*, iuxta nomen ſuum, ſtultus fuit; ſed ſæpe etiam non conueniunt. *Ioannes gratioſum* aut *pium* ſignificat; multi tamen Ioannes *pij* non fuerunt, ſed damnati ſunt, vt exemplo eſſe poteſt Ioannes Caluinus. Eadem eſt ſuperſtitio, quæ Pythagoræ tribuitur, in nominibus proprijs vocalium numerum parem proſperum, imparem infelicem interpretrans; aut numerum maiorem exiſtimans, quaſi idcirco Hector ab Achille ſit ſuperatus, Hectórque ſuperior euaſiſſet, ſi fuiſſet Achilles nominat⁹. Enimuerò numeris vim aliquam diuinam, aut naturalem proprietatem tribuere, error eſt.

Eſto

Eſto Apoſtolus nomen Antichriſti, per numerum 666. ſignificârit, quod factum eſt, Deo reuelante; & reuelante arcana ſua, cui vult, non qui vult. Nam id vt fiat, petere, à doctis & pijs non probatur. Etſi enim reuelationes plurimæ ſanctis ſint factæ; tamen deſiderare, plerumque oritur ex occulta ſuperbia, æſtimatione & amore ſui; quia tales cupiunt ſuam alijs manifeſtã fieri ſanctitatem, (quæ tamen in talibus non conſiſtit) aut certè ex vana curioſitate, quæ à Deo punitur. Vt autem nec litteris, nec numeris, ita neque verbis neque libris vis vlla phyſica aut diuinatoria ineſſe eſt credenda. Quod tamen itidem ab ijs creditum vidimus & vſurpatum, qui alios, hac in re ſuperſtitioſè credulos caſtigare debuiſſent. Fit hæc ϛοιχειομάντεια, aperto temerè Homeri aut Virgilij libro, & primo, qui obuius inſpicienti occurrit, verſu obſeruato. Ita Socrates olim mortis ſuæ diem; Claudius, Macrinus, Gordianus iunior & alij Impp. tempus regni vel vitæ dicuntur coniecisse. Has Ethnicorum nugas imitati ſunt poſtea etiam Chriſtiani, Veteris aut Noui Teſtamenti apertione, quam *Sortes Apoſtolorum* appellauerunt. Contaminauerunt

Apoc. 13.

Franciſcus Arias lib. de orat. ment.

Gregor. l. 8. Greg.

runt ſe hoc genere *Sortis* Heraclius, apud Cedrenum; Romanus Diogenes, apud Cuſpinianũ; Andronicus ſenior, apud Gregoram; Charannus filius regis Francorum, apud Gregorium Turonenſem; B. Theodora Alexandrina nondum bene catechizata, apud Simeonem Metaphraſten; Gundulphus, apud Ranulphum; Meroueus item, apud Gregor. Turon. apud quem tres codices S. Scripturæ ſuper S. Martini ſepulchro collocantur, & ſigillatim ſinguli aperiuntur. Deniq; & Cardanus, & Cardani imitatores, & quicunque ſeriò adhibent librũ *Fortunæ Rotam* dictum; aut alios, ſeu proſa, ſeu ligata oratione, vaticinantes; qui Eccleſiæ Catholicæ plurib⁹ decretis damnati ſunt ſeueriſſiméque etiam ab Vrbano VIII. prohibentur; præſertim, qui de morte Principum vaniſſima oracula mentiuntur. Neq; pro iſtis quidquam facit, quod ſupra recenſuimus, de S. Baſilio, Auguſtino, Ignatio; qui libros ſacros vtiliter aperuerunt, non vt futura inde diſcerent, aut occulta explorarent; ſed, vt in ſcripturis, alijsue pijs libris, doctrinam in ſolatium, aut exhortationem in ſpiritualem fructũ, reperirent: in quem vtiq; finem eiuſcemodi volumina

Tur. l. 4. hiſt. c. 16. & 20. Sim. Metaphraſt. XI. Septembr. Ranulphꝰ l. 7. Polychronic. c. 6. Gregor. Tur. l. 5. hiſt. Frãc. c. 14. C. aliquanti. & c. ſi quis clericos. 26. q. 5.

ſunt à Deo nobis data. Sed ita eſt, etiam ipſis pijs libris, quibus nos Deus vult vti, diabolus vult abuti.

### §. IX.

### *Quid, apud Iudæos, Ephod, Sacerdotale, ſtola hieratica, epomis, diplois, Rationale, Vrim & Thũmim fuerint, in quibus Dominum conſulebant?*

Quod etiam facit in ſpeculis. Conſtat è S. Scriptura, fuiſſe quendam occultorum Dei conſiliorum iudiciorúmque ac prophetiæ modum, in applicatione *Ephod*, quod vel linteum erat, atque etiam minoribus ordinibus conceſſum, vt puero Samueli; vel

1. Reg. 2. *Sacerdotale*, quod & *ſuperhumerale* dicebatur, auro & trium colorum varietate con-

Vide Exod. 28. ſpicuum à Ioſepho *ſtola hieratica, epomis, & diplois*, vocatum. Huic aureis catenulis appenſum fuit *pectorale*, ſic dictum, quia in pectus, propendebat, alio nomine etiam

Exod. 28. 15. & 30. Num. 27. 21. *Rationale*, *Rationale iudicij*, & *iudicium filiorum Iſraël*, itémque *iudicium Vrim* nuncupatum. *Rationale* quidem, quia, more animalis ratione prædit, ratiocinabatur: *Rationale* autem *iudicij*, quia diuinæ litteræ ſolent id, quod quiſque facere debet, ſiue cuiuſ-

iuſque officium, *iudicium* appellare: *iudicium* quoque *filiorum Iſraël*, quia ſacerdos rationali indutus, Deo hominum dubia, deſideria, negotiaúe proponebat: Deus verò, per *Rationale* ſignificabat hominibus, quid fieri vellet, & quis rei ſucceſſus futurus eſſet. Vnde idem *Rationale*, ſeu gemmæ illius duodecim *Vrim* & *Thummim*, hoc eſt, *manifeſtatio* & *veritas* rerum futurarũ dici conſueuerunt. Idcirco legimus: *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem.* Hoc *Rationale*, *& Ephod*, cum alijs veſtimentis ſacerdotalibus induti ſacerdotes, poſt debitas preces, viua voce, ea quæ intelligere cupiebant, propoſuerunt; quod dicebant, *applicare Ephod*, & *conſulere Dominum*. Tum, vt tradit Ioſephus, ſi Deus quidpiam ſuadere aut approbare volebat, externo atq; inuſitato quodam lapidum ſplendore, internáque luce menti ſacerdotis infuſa, reſpondebat. Quod etiam, in Eccleſiaſticis hiſtorijs legimus, contigiſſe. Rem memoratu digniſſimam ipſis verbis D. Gregorij Archiepiſcopi Turonenſis referam.

Prou. 1. 3. c. 1, v. 9.

Exod. 23. 17.

1. Reg. 13. 9. Ioſeph. l. 3. antiq. c. 9.

## §. X.

*Gemma miraculoſa inter nocentem & innocentem, vel obſcuritate, vel claritate, diſcrimen inſpiciendum præbens.*

S. Gregor. Turon lib. 1. de glor. martyr. cap. 13.

*Quoniam Vaſatenſis vrbis meminimus*, inquit, *operæ precium puto, miraculum, quod in ea Dominus largitus eſt, memorare. Tempore, quo diuturna obſidione, vallabatur à Chunis, omni nocte ſacerdos, qui præerat, circuibat pſallendo, & orabat, nec ab vllo auxilium, niſi à Domini miſericordia requirebat. Hortabatur omnes orare, & non deficere, aſſerens humiles preces, cælorũ ianuas penetrare. Hoſtis verò in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineáſq; pecoribus intromiſsis, vaſtabat: ſed ſacerdoti bono operi inſiſtenti, celeriter, virtus diuina adfuit. Nam nocte viſum eſt ipſi Barbarorũ regi, quaſi pſallentes homines, in veſtimentis albis, accenſis cereis, circuire muros vrbis, & indignans, ait: Quæ eſt hæc peruerſitas, & ſecuritas vana, vt obſeſſi quaſi deſpectis nobis, cãticis, neſcio quibus, ac laudibus perſtrepant? verè quia digni ſunt perditione. Et ſtatim miſit ad vrbem nuncios, interrogantes, quid ſibi iſta velint? At illi negant, ſcire ſe, quæ dicuntur, neq; de ijs aliqua perſenſiſſe. Alia verò nocte, vidit quaſi glo-*

ſi globum magnum ignis ſuper vrbem deſcendere: & ait, ſi contra nos hi obſeßi contumaciter agunt, nec nos metuunt, vel cæleſtis eos ira cõſumit. Cúmq; non videret vllum ab vrbe incendium conſurgere, miſit iterum interrogare, quæ eſſent, quæ, viderat. Similiter negauerunt, nihil ſe omnino vidiſſe. Tunc rex Gauſericus ait, ſi hæc iſti neſciunt, manifeſtum eſt, quòd Deus eorum adiuuat eos: & ſtatim diſceſſit à loco illo. Sacerdos autem, conuocatis ciuibus, vigilias celebrat, & miſſarum agit feſta, pro liberatione populi ſui. Dum autem hæc ageret, reſpiciens ſurſum, vidit ſuper altare, quaſi de camera templi, cadere tres guttas, æquales magnitudine: claritate, candore cryſtallum vincentes, cúmq; omnes cum admiratione & ſtupore vehementi intenderent, eáſq; nullus auderet attingere, Petrus quidam presbyter, qui vt res ipſa adſerit, magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur: quæ dum per altare vago curſu rotantur, defluentes in ipſam patenam ſtatim in ſe coniunctæ, quaſi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: patuítq; euidenti ratione, contra iniquam & Deo odibilem Arianam hæreſin, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta. Agnitum eſt, Sancta Trinitatem in vna omnipotentia æqua-

*litate annexam, nullis garrulationibus poſſe diſiungi. Tunc gauiſus populus, & intelligens munus ſibi indultum fuiſſe diuinitus, conferens aurum gemmásq; precioſas, crucem fecit, in qua gemmam ſtatuit. Sed protinus omnes reliquæ gemmæ hac accedente ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens, non eſſe conſortium cæleſtibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro puriſſimo, eam gemmam media intercapedine locat, & populo adorandam præbet. Nec mora, fugato, vt diximus, hoſte, ciuitas eſt liberata. Iam ex hoc multi infirmi hauſto vino, vel aqua, in qua gemma abluitur, protinus ſanitati redduntur. Deniq; cum adorata fuerit, ſi à peccato eſt homo immunis, & ipſa apparet clara: cæterùm ſi vt plerumq; adſolet, humanæ fragilitati, aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obſcura: mirámq; præbet diſcretionem, inter innocentem & noxium, cum vni atra, alteri monſtretur ſplendida.*

## §. XI.

### *Acherontica ſimia ſpeculorum ſortes imitata quàm in grandia pericula ſtolidos mortales coniÿciat?*

Hęc talia iudicia ſua Deus poteſt & nũc, & ſolebat olim in gemmis Ephod, velut inſcribere; ſolet autem etiam ęmulari Sathan.

1. Pythagoras ſpeculo concauo litteras humano ſanguine temperatas inſcribebat, & ſpeculum Lunæ opponens diuinabat, vt quidam recentior tradit; ac nonnulli ſtolidi iuuenes ſomniant naturaliter fieri poſſe. Leloyher. l. 4. de ſpect.

2. Pauſanias agens de Cereris æde, ait: *Ibi oraculum maximè veridicum fuiſſe cognoui. ex eo non rerum omnium, ſed morborum tantùm euenta prædicebantur. Speculum tenui ſuſpenſum funiculo demittunt, ita librantes, vt in fonte omnino non mergatur; ſed imo ambitu ſummam aquam contingat. Exinde, vbi odores adoleuerint, & ritè Deam precati fuerint, inſpiciunt in ſpeculum, & ex eius imaginibus, periturúsne, is æger ſit, de quo conſuluerunt, diuinant.* Pauſan. in Achaic.

3. *Fuit præterea, in Iuliano, hæc amentia,* ait Spartianus, *vt per Magos pleraq; faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compeſci. Nam & quaſdam non conuenientes Romanis ſacris hoſtias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea, quæ ad ſpeculum dicunt fieri (in quo pueri, præligatis oculis, incantando, vertice reſpicere, dicuntur) Iulianus fecit. Tuncq; puer vidiſſe dicitur & aduentum Seueri, & Iuliani deceſsionem.* Spartian. in Iulian.

4. Turcæ in peluim aqua plenam inijciunt lapides precioſos, item au-

ri argentíque laminas, & aiunt, ſe reſponſum è peluis fundo audire. 5. Noſtra tempora, vt omnium ætatum ſtultitias videantur collegiſſe, audent non ſolùm conſulere, ſed etiam emere ac ſecum geſtata eiuſcemodi ſpecula iactare. Audiui iuuenis, & noui oculatos teſtes, qui ſe vidiſſe, aiunt, phialas, globóſque cryſtallinos, apud magnates, monſtratos, à ſpiritibus inſeſſos, qui iam in cicadas, mox in homines, & momento in dæmones verſi, tandem furta ac fures repræſentabant; & puero quodam exclamante, IESVS, MARIA, in ictu oculi, euaneſcebant. Vſque adeò diabolus ſe etiam apud magnos inſinuat, & in aulis quoque dominatur. Sed placet, referre, quod in non indocto commentario *de dæmonum natura*, quidam, in Germania, libello Plutarchi, *de defectu oraculorum*, præfixit. *Conſulti*, inquit, *aliqui de rebus ignotis, in cryſtallis, conſpiciunt ea manifeſtò, de quibus quæſitum fuit.* Et addit: *fuiſſe ſibi notum vnum ex præcipua familia Norinbergæ. Eum, quodam tempore, veniſſe ad ſe, & attuliſſe, in ſerico panniculo inuolutam gemmam cryſtallinam, figura rotundam, & dixiſſe: donatam ſibi illam fuiſſe à quodam ignoto, qui ſe, ante multos annos, de*

*hoſpi-*

hoſpitio compellaſſet, fortè in forum conuentum, quémq; ipſe in domum ſuam adduxiſſet, & triduo habuiſſet ſecum. Fuiſſe autem ab illo diſcedente, & relinquente munus hoc, ad ſignificationem grati animi, edoctum ſe cryſtallini vſum talem: Si qua de re certior fieri vellet, vt promeret cryſtallum, & puerum marem caſtum iuberet aſpicere, & ex eo percunctaretur: Quid cerneret? fore enim, vt de apparentibus puero viſis omnia, quæ requireret, indicarentur. Atque affirmarat hic, ſe nulla vnquam in re fuiſſe deceptū, & mirabilia de puerorum indicijs reſciuiſſe; cum ceterorum nemo quiſquam aliud, quam nitidam & puram gemmam intuendo videret. Quodam tamen tempore, cum grauida ipſius vxor puerum geſtaret in vtero, illi quoq; ſpecies in cryſtallo oblatas. Primò autem omnium formam viri ſe ſe exhibere ſolitā, illo habitu, quo tum communiter vterentur. Et ita deinceps aperuiſſe, de quibus interrogatum eſſet, cetera: explicatisq; cunctis, illam rurſus viri figuram diſceßiſſe, & euanuiſſe reliqua. Diſcedentem autem eam, quam diximus, figuram viri viſam ſæpe vrbem perambulare, & ingredi templa. Fuerat autem fama paßim diſsipata de illis indicijs; vt negantibus aut diſsimulantibus ſuum delictū aliquod, vul-

gò minarentur, ſe relaturos de ea ad illum ſe in cryſtallo oſtendentem virunculum. Quin etiam compertum eſt, fuiſſe à doctis quibusdam, de dubitationibus ſuis in litterarum ſtudijs aliquando, neſcio quid, propoſitum, & in cryſtallo lectum. Sed his & alijs huiuſmodi compluribus commemoratis, dixit Spenglerus, hunc aliquando ad ſe veniſſe, cum tali oratione: Arbitrari ſe, tempus eſſe, vt à cryſtalli tali vſu tandem abſtineret. Nam & ſibi iam perſuaſum, eo ipſo non leuiter peccari, & animi perturbati cruciatus grauiſsimos, ſe diu ſanè perpeſſum eſſe. Itaq; ſe decreuiſſe, deinceps nihil cum illo experimento velle negotij habere: tradere nunc ipſi, quod accepiſſet, de quo meminiſſe poſſet, quid ei ſæpe demonſtraſſet, neq; neſciret, qui rumores, in ciuitate, percrebuiſſent. Permittere autem, vt faceret de eo, quod collibuiſſet. Tum Spenglerus, laudato eo, accepiſſe ſe aiebat cryſtallum, & in minutiſsimas partes contudiſſe, & vna cum ſerico inuolucro, in latrinam abieciſſe. Quàm dignum fuit hoc tumulo iſtud cadauer?

§. XII.

## §. XII.

*Sortibus diabolicis ſubinde homines vera cognoſcere, vt poſtea falſis magis credant: eoſdemq́ue, ſi è multis falſißimis coniecturis, tantùm vna verum attingat, illam iactare, mendacijsq́ue reliquis omnibus veniam dare.*

Vtinam imitarentur hoc factum, quicunque plus quàm vitrea ac fragili veritate nituntur! Quid amentius poteſt eſſe, quàm credere hoſti? quid ſtultius, quàm adhibere fidem ei, *qui in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo?* immo qui, etiam cum vera loquitur, mentitur; loquitur enim, vt fallat. Verum erat illud: *Aperientur oculi veſtri:* falſum, quod mox ſubiunxit: *Et eritis, ſicut dij.* Nempe, ſicut lignea ſagitta non penetraret, niſi cuſpis ferrea præfixa viam aperiret; ſic multi diabolo mentienti non crederent, niſi vel vero, vel ſpecie veri deciperentur. Eleganter Auguſtinus hîc occurrit inquiens: *Sed fortè dicit aliquis: Quid facimus, quia auguria iſta, vel characteres, vel diuinationes frequenter nobis veritatem annunciant? De hac re Scriptura nos cõteſtatur & monet dicens: Etiamſi vera dixerint vobis, nolite credere: tentat*

Ioan. 8. 44.

Gen. 3. 5.

S. Auguſt. ſerm. de temp. 241.

enim

*enim vos Deus veſter, vtrum eum timeatis, an non. Sed iterum dicis: Aliquoties, ſi præcantatores non fuerint, aut de morſu ſerpentis, aut de aliqua infirmitate prope vſque ad mortem, multi periclitantur. Vnum eſt, fratres, quia permittit hoc Deus diabolo, ad probandum populum Chriſtianum: vt cum interdum, per illa ſacrilegia, aliqua remedia receperint, faciliùs poſtea diabolo credant. Et ideò quantum poteſtis circumuentiones illius fugite.* Quod planè etiam eſt, de ſortibus Sathanicis dicendum; quæ non periculis duntaxat, ſed etiam falſitate ſunt plenæ, & ſæpe non tam præſciente diabolo, quàm temerè conijciente, attingunt veritatem; ſicut qui faſtos & calendaria condunt, etiamſi ſtellarum nullam habeant peritiam, etiamſi temerè imbres aut ſerenitates prædicant, tamen non rarò id prædicunt, quod poſtea euenturum eſt; etſi non rarò etiam pinguiſſimè mentiantur. *Quoniam enim*, teſte Auguſtino, *non tenent homines memoria falſitates erroréſq; Mathematicorum, non intenti, niſi in ea, quæ illorum reſponſis prouenerunt, ea quæ non prouenerunt, obliuiſcuntur: & ea commemorant, quæ non arte illa, quæ nulla eſt, ſed quadam obſcura rerum ſorte contingunt. Quod ſi pe-*

S. Aug. l. 83. qq. q. 45.

ſi peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificioſè diuinare etiã mortuas membranas ſcriptas quaſlibet, de quibus plerumque, pro voluntate, ſors exit. Quod ſi non arte de codicibus exit ſæpe verſus futura pronuncians, quid mirum, ſi etiam ex animo loquentis, non arte, ſed ſors erit aliqua prædictio futurorum? Ratum eſt, apud Theologos, futura contingentia dæmones, non niſi ex incertis coniecturis, aut aliquando è certa Dei reuelatione noſſe. Coniectando ſæpe hallucinantur. Cum reuelata propalant, tamen hominibus non conſtat, an ex Deo habeant. Cum ergo ex ipſis dæmonibus futurorum iudicia certa non hauriantur, quæ eſſet in *Sortibus* dæmonum certitudo? Inde nec propriè *Sortes*, ſed, cum addito, *Sortes diabolicæ* ſunt appellandæ. Qua ipſa de cauſſa vera & abſolutè *ſors* D. Auguſtino, *non aliquid mali eſt, ſed res eſt, in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem.*

§. XIII.

*Deum, in pœnam ſuperſtitionis, ſubinde permittere, vt ſuperſtitioſis fiat, ſicut crediderunt.*

Denique, ſi quando eueniunt, quæ ex illicitis *Sortibus* homines ſe vel occulta, vel abſen-

abſentia, vel futura venatos arbitrantur; non rarò eueniunt, in pœnam, vt hominibus ſtultis, fiat, ſicut crediderunt. Quidam varijs chartis varia genera mortis inſcripſit, vt ſciret, qua ipſe eſſet interiturus, in lecto, an campo; fune, an enſe? Extraxit ſemper funem. Ergo infamiam patibuli, quod ſibi imminere dicebat, horrens, ſe ipſum domi ſuſpendit, ne id carnifex foris facere cogeretur. Chronica Scotorum de Nathaloco rege XXX. memorant, illum ipſum, à quo rex cæſus, *ad diuinos miſſum, vt de victoria, de vita Regis, ac regno eius percontaretur: reſponſum à quadam anu accepiſſe: Regem non diu victurum: nec periculum ei ab hoſte, ſed à familiaribus inſtare. Cum ille vrgeret,* A quo? *anum,* A te, *ſubieciſſe. Ille mulierem execratus, cum domum rediret, ſubijt animum illa cogitatio: nec reſponſum cælari poſſe, nec edere tutum eſſe: ne ſe apud Regem hominem prauum, & ſuo timori indulgentem, ſuſpectum redderet. Itaq; tutius eſſe, tyrannũ, cum multorum gratia, interficere, quàm cum grauiſſimo capitis proprij, diſcrimine incolumem ſeruare. Statim, vbi domum redijt, impetrato, ad reſponſa diuinorum expromenda ſecreto; cæſo Rege, duodecimum imperij annum ingreſſo, patriam ſeruitio*

Buccanan. lib. 4. fol. 35.

*uitio*

*uitio, & ſe periculo exemit.* Nonne his talibus *Sors* exitioſa fuit? Tuo, ô Deus, iudicio fuit, qui *odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè. Ego autem in Domino ſperaui: exultabo & lætabor in miſericordia tua.* Plura de omine ſacro & licito, ac profano & illicito & ſuperſtitioſo reperiet lector apud Pererium. Pſal. 30. 7. Perer. in c. 24. Geneſ. verſ. 13.

## CAPVT. IV.

### *An Deus aliquorum innocentiam, vel iuſtitiam declaret, qui aduerſarios ſuos, ad vallem Ioſaphat citant, aut qui ad diuinum iudicium prouocant?*

### §. I.

#### *Ad iudicium Dei prouocantium diuerſæ Sortes.*

PErtinent ad *Politicas ſortes* etiã *exploratoriæ probationes*, quibus fortuito euentui veritas culpæ vel innocentiæ permittitur decidenda; & ſæpe, non ſine euidenti miraculo, deciditur. Inter has iudiciarias diſquiſitiones, eſt etiam illa vna, qua ſe ſe homines, mutuò, *in vallem Ioſaphat*, & ad diuinum tribunal ſolent citare. In qua citatione vel damnandâ, vel imitandâ, homines poſſunt committere temeri-

meritatem. Sæpe enim eiuſcemodi citatio à Deo eſt, ſæpe contra Deum: ſæpe contemni debet, ſępe formidari: vt enim vel licita eſt, vel iniurioſa; ita ſupremus iudex, per eam, vel vult, vel non vult iudicia ſua manifeſtare. Sunt etiam duplicis generis homines, qui hac prouocatione vtuntur; rei & innocentes; ſancti & impij. Duplex etiam, generatim loquendo, eſt finis, bonus & malus. Et modus quoque ipſe non eſt idem. Aliquando ad iudicem Deum abſolutè duntaxat appellatur; aliquando iubetur aduerſarius ad tribunal eius, intra certos dies, menſes, aut annos; aliquando, nullo certo tempore nominato, ſe ſiſtere. Cum ergo impium ſit, ſanctos temeritatis damnare, qui ſubinde tyrannum, aut alios, ad comparendum, coram Deo, citauerunt; & ſtultum, quauis ex cauſſa, ad ſummum iudicem prouocare: afferam primò cauſſas, & exempla licitæ, poſtea etiam illicitæ citationis, ob quã Deus iudicij ſui arcana mortalibus vel negauit, vel patefecit.

## §. II.

*Cauſſæ, ob quas ad Deum ſummè oppreſſi, licitè poſſint prouocare.*

Qui innocentes iniuriâ afficiuntur, & vitâ di-

tâ digni mortis ſententiam accipiunt, videntque nullum ſibi, in humanis auxilijs, præſidium ſupereſſe; rectè ad Deum confugiunt, cui placere non poteſt, ſi gladius, quem Principibus & Magiſtratibus, in vindictam malefactorum, conceſſit, ſtringatur in innocentes. *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet.* Immo etiam *qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego,* inquit Iob, *inuocabit Deum, & exaudiet eum.* Exaudire autem eum poteſt, prout inuocatus fuerit, vel, vt iniquitate oppreſſum è malis præſentibus eripiat, quod omnino petere frequens & conceſſum eſt; vel, vt talem iniuriâ aut morte non fuiſſe dignum, ſumta de aduerſario extraordinaria vltione, mortéque etiam ipſi illatâ, declaret. Quod varijs quis de cauſſis poteſt à Deo flagitare. Si, citra odium, aliamúe malam affectionem, bono fine, flagitet, puta, vt innocentia locum habeat; vt ſcandalum amoueatur; vt familia non grauetur infamiâ; vt homines tam iniuſtis iudicibus liberentur; aut vt emendentur, qui adeò tyrannicè dominantur; tum licitè flagitat; prouocátque, ſine peccato, & verò ſæpe etiam cum merito, ad tribunal ſummum iu-

Eccli. 35. 16.

Iob. 12. 4.

Ita Feuardent. extremo cap. 13. Eſther.

dicis viuorum atque mortuorum; nec ſine petito effectu. Legimus enim frequenter diuinam iuſtitiam, ſic prouocantes manifeſtiſſimè abſoluiſſe, & lege talionis ex vita expuliſſe eos, qui alios & ipſi è vita, ſed iniuſtè, expulerunt.

## §. III.

*Eorum, qui ad iudicium Dei appellauerunt; è veteri Teſtamento exempla.*

Exempla è diuinis littteris, ex vitis Sanctorum, ex aliorum geſtis afferri poſſunt. In diuinis litteris, Dauid capitali Saulis odio multíſque inſidijs petitus, *Iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te*, inquit. Prouocatio hæc fuit; neq; in irritũ cecidit, quia, cecidit paulò poſt Saul, amiſsâ victoriâ, & vitâ. Clarius exemplum datum eſt, in Pontifice Zacharia filio Ioiadæ, in quem illi ipſi, quos ab idolis dehortabatur, *miſerunt lapides, iuxta regis imperium in atrio domus Domini. Et non eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius ſecum, ſed interfecit filium eius. Qui cum moreretur, ait:* Videat Dominus, & requirat. *Cúmq; euolutus eſſet annus, aſcendit contra eum exercitus Syriæ: venitq́; in Iudam & Ieruſalem, & interfecit cunctos principes populi*

1. Reg. 24. 13.

2. Paralip. 24. 23.

*puli &c. In Ioas quoq; ignominioſa exercuêre iudicia. Et abeuntes dimiſerunt eum in languoribus magnis: ſurrexerunt autem, contra eum, ſerui ſui, in vltionem ſanguinis filij Ioiadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo*, ante diuinum tribunal, de innocentiſſimi ſacerdotis nece rationem redditurum. Pari pacto Machabæi martyres Antiocho diem dixiſſe cenſendi ſunt: ſiquidem eorum prædictiones vim imprecationis & citationis habuerunt, cum dicerent: *Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebit*. Dictum, factum. Neque hæc talia ex impatientia, aut ira, ſed ex zelo iuſtitiæ & odio impietatis, profecta videri debent; ſicut neque Moyſes, quando dixit: *In hoc ſcietis, quia Dominus miſerit me &c. Si conſueta hominum morte interierint* Dathan & Abiron &c: *non miſit me Dominus* &c. neq; Elias, quando dixit: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*: neque Eliſæus, quando vrſos immiſit in pueros irriſores.

2. Mach. 7. 17. & 19.

Num. 16. 28.

4. Reg. 1. 10.

4. Reg. 2. 24.

## §. IV.

*Noui Teſtamenti exempla diuinum iudicium minitantia, aut poſtulantia.*

In nouo quoq; Teſtamento exempla oc-currunt. Nam & Chriſtus ipſe ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans dixit: *Ego non quæro gloriam meam; eſt qui quærat, & iudicet*: & S. Petrus, teſte D. Gregorio, *increpando vtriq; coniugi*, Ananiæ & Sapphiræ, *vitam abſtulit, qui reddidit Thabitæ orando*. Noluit quidem Chriſtus, qui pati venerat, ſæuire: ex hoc tamen, & Pauli Elymam excœcantis, atq; Corinthium ſathanæ in interitum tradentis exemplo, *voluit, vt intelligeremus, id ſe potuiſſe*, ait Tertullianus. Nimirum non aliena eſt ab Euangelica ſuauitate ſeueritas nonnulla, vt Beda docet. Habenda enim eſt etiam ratio communis in futurum vtilitatis, &, diſciplinæ cauſſa, obſtinatis metus incutiendus. Qua de cauſſa S. Thomas tradit, Petrum, tanquam executorem Dei, occultum Ananiæ peccatũ explicauiſſe. Prohibet quidem Chriſtus, ne malefacientibus malefaciamus, aut maledicentibus imprecemur, licet tamen quandoque *vtrumlibet zelo iuſtitiæ, & iudiciaria poteſtate, atq; ſine vindictæ liuore, ſine odio*, vt D. Gregorius obſeruat. Sic idem Petrus Simoni dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Quæ imprecatio & male-

Ioan. 8. 50. Act. 5. 5. S. Greg. l. 2. dial. c. 30. Act. 13. 11. 1. Cor. 5. 5. Tertullian l. de Pudic. c. 21. Beda in Luc. 9. 55. S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 7. ad 2. Luc. 6. 28. Act. 8. 20.

maledictio eſt præuidentis diuinam de Simone ſententiam, & huius reprobationem atq; æternam perditionem, non autem vindictæ ſtudentis, ait cum Beda Gloſſa ordinaria. Sic Paulus Principi ſacerdotum Ananiæ dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Vbi Apoſtolica auctoritate auctori percuſſionis ſuæ interitum denunciauit: certè, vt Propheta, prædixit: *etenim iſtud euenit, ſicq; defunctus eſt*, ait S. Chryſoſtomus. Sic & alio tempore idem Paulus exiſtimauit, Alexandro ærario iniuſtitiam eius impunitam eſſe non debere, dixit enim: *Reddet illi Dominus ſecundùm opera ſua*, multa ſiquidē mala Paulo oſtendit Alexander, poſtquàm à fide defecit, & Euangelio valde reſtitit. Deniq; Sanctorum, pro Chriſto, occiſorum animæ, nonne *clamabant voce magna, dicentes: Vſquequo, Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra?*

Act. 23. 3.

S. Chryſ. homil. 6. de laudib. S. Pauli.

2. Timoth. 4. 15.

Apoc. 6. 10.

### §. V.

*S. Staniſlai martyris, & S. Fridolini mortuos, ad ciuile iudiciū, è ſepulchris, vocantiū hiſtoria docentes, multò magis viuos poſſe à Sanctis ad diuinum iudicium citari.*

S. Thom. 2. 2. q. 83. a 8 ad. 2. Breuiar. Roman. 2. Maij.

Eadem ratione, qua pro Verbo interfectorum animæ clamauerunt, poſſunt etiam clamare alij Martyres, ac Sancti, & diuinam vindictam iuſtiſſimè implorare, vt ex D. Thoma conſtat. S. Stanislaus Polonus Boleslaum *grauiter offenderat*, *quòd illius notam libidinem publicè arguebat. Quare, in ſolenni regni conuentu, Staniſlaum, per calumniam, in iudicium, coram ſe vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coëmerat. Quod cum neq; tabulis probare poſſet, & teſtes veritatẽ dicere timerent, ſpondet Epiſcopus, ſe Petrũ pagi venditorẽ, qui triennio ante obierat, intra dies tres, in iudicium adductum. Conditione cum riſu accepta, vir Dei toto triduo ieiunijs & orationi incumbit: ipſo ſponſionis die, poſt oblatum Miſſæ ſacrificium, Petrum, è ſepulchro ſurgere iubet: qui ſtatim rediuiuus Epiſcopum ad regium tribunal euntem ſequitur, ibiq;, rege & ceteris ſtupore attonitis, de agro a ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo perſoluto, teſtimonium dicit, atq; iterum in Domino obdormiuit.* Simile quid legimus de S. Fridolino Abbate, Seckingæ ad Rhenum, monumentum habente, qui itidem è tumulo mortuum ad humanum tribunal euocauit, vt & innocentiæ, & calũ-

niæ

niæ indignitas teſtem, omni exceptione maiorem, haberet. Quod ſi igitur Sancti vel ipſos mortuos è ſepulchris ad humanum audent tribunal euocare; cur non auderent viuos citare, eaſdem ob cauſſas, ad tribunal diuinum? nempe, vt aut ſe, aut ſua, aut, quæ ſunt Eccleſiæ, tueantur?

## §. VI.

*S. Benno Epiſcopus iniurioſum Marchionem ad diuinũ ſe ſiſtere tribunal iubet; nec ſine effectu.*

Sua & Eccleſiæ bona defendit hac citatione Stanisla⁹, ac ſe ipſum quoq; à calumnia. Idem fecit S. Benno Miſnenſis Pontifex, dum ad diuinum tribunal Dei, Marchionem iniurioſum, certo tempore præſcripto, venire iuſſit. Rem totam ex bulla canonizationis Adriani Pontificis Hieronymus Emſerus, atq; ex hoc Raderus, his verbis tradidit. *Marchio quidam Miſnenſis ad rem auidior, cum per ſummum ſcelus in poſſeßionem bonorum Eccleſia Miſnenſis irruiſſet, Beatus Benno hominem rectè facturum affirmauit, ſi ea, quæ ipſi Eccleſia Miſnenſi eripuiſſet, reſtitueret; ſin minus, Deum aliquando, pro tanta improbitate, pœnas ab eo experiturũ. Quibus verbis homo furens concitatus Sanctiſſimum virum alapa percußit. Tunc Beatus*

Matthæus Rader. volumine 3. Bauar. S. pag. 185.

*diuino ſpiritu afflatus; hanc tantam iniuriam, inquit, hoc eodem tempore, ſequentis anni Deus omnipotens vlciſcetur, quem Marchio ille proteruus atque ſuperbus irriſit, ac paulò pòſt Beatus Benno ægrotare cæpit, & breue futurum ſperans, vt ex hac vita ad ſuperos, quorum conſuetudo dulcis eſt atq; æterna, migraret &c.* Poſtea *è vita exceßit, & id quidem quadrageſimo pontificatus ſui anno, poſt Chriſtum natū, milleſimo centeſimo ſexto,* &c. *Marchio, de quo paullo antè fati ſumus, cum tempus illud eueniſſet, quo ſanctus vir ipſum Marchionem pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem prorupit: Benno, ſuperiori tempore, neſcio, q́d periculi nobis, hodierno die, euenturum minabatur; mortuus eſt ille, non igitur eſt, quod nobis timeamus. Vix ille hæc verba finierat, ſubitò conſternitur, & auxilium eorum, qui aderant, implorans, miſerandum in modum, ac magno cum dolore & gemitu, moritur. Hinc facile concipi poteſt, diuinam poteſtatem diuino homini communicatam eſſe.* Ita pro ſe, pro Eccleſia, Benno ad diuinum iudicium appellauit.

§. VII.

## §. VII.

### *Gualteri Burgenſis, itemq́ Roberti Groſſeteſt, ad diuinum iudicium Iudices magnos vocantium vindicata iniuria.*

Gualterus Burgenſis pro ſe idem fecit. Erat is vir doctrina & ſanctitate clarus, perque iniuriam Epiſcopatu Patauenſi priuatus & expulſus à Clemente V. Nempe hoc volebat eum Deus pati, propter regnum cœlorum. Et paſſus eſt patienter, quoad vixit. Moriens tamen, ne & alijs eiuſcemodi iniuria irrogaretur, iuſſit ſepulchro ſuo incidi: AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Incidit in hanc epigraphen Clemens, & fertur iniuriæ, quam intulerat, memoria expauiſſe: addunt alij, non diu poſt, obijſſe. Nec mirum eſt Gualterum, in vita patientem, in morte appellauiſſe. Ita & Dauid moriturus Salomoni filio quoſdam nominauit puniendos, quibus, in vita, pepercerat. Vtrumque ſancti quærunt, & præmium patientiæ, & iuſtitiæ exemplū. *Vindicta Martyrum eſt*, ait S. Auguſtinus, *vt euertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpeſſi ſunt.* Quin omnes ſancti, *poſtulant ſe vindicari, non voce, ſed ratione, ſicut ſanguis Abel clamauit de terra.* Lætantur

Raphael Volateran. anthropol. l. 21.

S. Aug. l. de ſerm. Domin. in monte. c. 45.

autem de vindicta, non propter vindictam, ſed propter diuinam iuſtitiam. Hoc modo, Pſal. 57. 11. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris;* qui priùs in illius ſanguine manus lauit; quid dico lauit? inquinauit. Admodū ſimile eſt, quod Ceſtrenſis lib. 7. Ceſtrenſis memorat, de Roberto Groſſeteſt dicto Lincolnienſi, magnæ, illa ætate, inter Philoſophiam profeſſos, famæ, quem Innocentius IV. excommunicauerat. Refert enim, Robertum ad Deum iudicem prouocauiſſe, Pontificémque ad Dei tribunal citatum, eodem die, defunctum, quo Robertus defunctus eſt; auditámque, in Pontificia aula, vocem: VENI, MISER, AD IVDICIVM. poſt hanc vocem, ſequenti die, Papam in lecto exanimatum repertum, ac liuidam in eius latere cruentámq; plagam, tanquam ſi fuſte percuſſus fuiſſet. Hoc accidiſſe ſcribit Anno 1253. cui conſentiunt Matthæus Pariſius, Ioannes Burienſis, & alij Britannici ſcriptores; licet alij ſcriptores nullam de hac re faciant mentionem. Martinus Delr. lib. 4. diſquiſ. Magicar. cap. 4. q. 4. ſect. 1. Vnde Delrius ſuſpectæ fidei eſſe iudicat narrationem. Sed ſuppetunt alia quoque complura exempla, tam eorum, qui ſua, quàm qui aliorum cauſſa appellauerunt.

§. VIII.

## §. VIII.

*B. Euſtachius Abbas Agreſtium calumniatorem diuino conuadatus vadimonio Beatum Columbanum defendit.*

Alterius cauſsâ appellauit B. Euſtachius Abbas. Is, hæretico quodam Agreſtio B. Columbanum iam mortuum conuicijs calumnijsque lacerante, in Concilio Matiſconenſi, ſic vltus eſt calumniatorem, vt diceret: *In horum præſentia ſacerdotum, te ego, eius diſcipulus & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad diuinum iudicium, cum illo, intra præſentis anni circulum, diſceptaturum inuito, vt iuſti iudicis examen ſentias, cuius famulum tuis obtrectationibus maculare conaris.* Nec fruſtra eum conuadatus eſt diuino hoc vadimonio. Nam cum Agreſtius *ſæpius ſibi datum pœnitentiæ locum non agnoſceret, vt B. Euſtachij ſententia ad diuinum iudicium ipſum vocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, priuſquam vertentis anni meta compleretur, à ſeruo ſuo, quem ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interijt.* Ita & mortales immortalium queunt cauſſam agere; & ipſi etiam immortales dicere poſſunt: *Iudica me Deus, & diſcerne cauſſam meam de gente non ſancta, & ab homine iniquo & doloſo erue me.*

Ionas Abbas eius contemporaneus, in vita S. Euſtachij.

Pſal. 42. 1.

§. IX.

## §. IX.

*Ad diuini iudicij examen citatos meritò compareſcere & emendari debere, nec ridere citationem, aut citantes. exemplo Hannoniæ Comitis, & Hiberniæ Proregis.*

Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 35. §. 3. Et meritò ſibi cauent à tali prouocatione iniquitatis non ſolùm operatores, ſed etiam fautores ac patroni. Quemadmodum cauiſſe legimus Hannoniæ Comitem: *qui, dum vellet, in Eccleſia S. Ioannis, in Valencenis, Canonicos expellere regulares, & pro eis ponere Canonicos ſeculares; Abbas eiuſdem loci, ad ſummum iudicẽ appellauit. Appropinquante autem appellationis die, cum Abbas inciperet infirmari, & ſe ad comparendum, coram ſummo iudice, orationis inſtantia præparare; ipſeq́; Comes, ſub eodem tempore, ſentiret incommodum, cauſſæ ceßit, omnimodè diem veritus iudicij, & ſententiam expectare.* Sapuit iſte in tempore, cōſilium Chriſti ſecutus dicentis: Matth. 5. 25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via, cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris.* Vtinam & alij conſilium hoc audirent, & dum in via ſunt, faciem iudidicis præoccuparent. Serò beneuolentia

Iudi-

Iudicis conciliatur in tribunali : præſtátq; aduerſarium placare , quàm expectare ſententiã damnantis. Rideri homines poſſunt, *Deus non irridetur.* Quare, magno ſuo malo, Numẽ in Martyre riſit Hiberniæ Prorex, de quo eruditiſſimus Galliarum regis Conſiliarius ſcribit, ab eo Maionenſem Epiſcopum Patritium Ochelium, & Conatium Ornarium Franciſcanum, virum religione & ſanguine clarum, nempe è Ducum proſapia oriundum, capitis damnatum, ac ſuſpendio addictum, quòd Eccleſiæ caput profanã feminã, Angliæ ſcilicet reginã vterq; cõſtantiſſimè negauiſſet. Iam ſub patibulo, iam in laqueo erat Ochelius, cum petijt, vt quando ipſi viuere ampliùs non liceret, liceret ſaltem, ſub finem vitæ, aliquantulum loqui, & populo poſtremùm valedicere. Non negata eſt illi ea petitio. Cæpit ergo Deo gratias agere, quòd ſibi ſocióque tantum conſtantiæ, quòd occaſionem fidei profitendæ, quòd gratiam vitæ, pro Chriſto, proijciendæ dediſſet. Adhortatus eſt deinde Catholicos, ſi qui adeſſent, vt in eadem religione, cuius ipſe cauſſa moreretur, vſque ad extremum ſpiritum & ipſi perſeuerarent. Admonuit inſuper, ſi qui ſecus ſen-

Galat. 6. 7.

Florimund. Rẹmund. lib. de ortu & interitu hæreſeon c. 20. n. 6.

ſentirent, vt & ipſi ſolum Chriſtũ, & Chriſti Vicarium Romanum Pontificem, pro capite Eccleſiæ agnoſcerent. Hac enim vnica de cauſſa ſe, cum ſocio, in vincula datum, atque in teterrimo carcere, ſolis omnis experte, quindecim dies, detentum; ac poſtea, ex Acherontica illa obſcuritate, extractum, multis pollicitationibus ac blandimentis ſollicitatum; grauiſſimis minis ac tormentorum metu perterrefactum, ſemper negauiſſe, Reginam eſſe Eccleſiæ caput. Ob quam conſtantem negationem, inquiebat, Prorex irritatus, cum tunica moleſta deeſſet, ocreas butyro, ſale, oleo & pyrio puluere iuſſit impleri, pedibúsque meis inductas, in bullientem aquam imponi. Ita elixis pedibus ocreas, cũ carne, detraxit; vnde oſſa nuda ſolísque neruis hærentia gero, quibus in cælum, non in ſententiam æternæ damnationi obnoxiam, cum me iturum profiterer, ad noua tormenta ſum pertractus. Nam mihi, hi digiti, & hæc brachia, vt videtis, inter duo grandia ſaxa, ſunt miſerrimè cõtrita. Ita frumentũ Chriſti factus ſum. Nunc demum, quia de ſententia non ceſſi, vt Chriſto meo conformis fiam, ſublimis pendebo, vt de cruce anima

vici-

viciniùs ad cælum eat. In hunc ſenſum, ad dimidiam horam, eo affectu, eáque vi verborum perorauit, vt etiam aduerſarij ipſi non poſſent à fletu abſtinere. Pro epilogo ad Proregem conuerſus, hac eum oratione compellauit: *Tu quidem, ô Prorex, hoc corpus miſerè torſiſti, atque iniurias mihi multas intuliſti, quarum hîc vltionem non poſco, ſed te iam, cælo teſte, ad diuinæ maieſtatis tribunal cito; vt illic facti rationem reddas.* Percuſſit hæc citatio animum Proregis vehementer, altámque ei plagam incuſſit; qui, vt bilem cum verbis exoneraret, dixit: *I, nunc bipedum nequiſſime; I, Pegaſeo volatu, ad Cerberum: Tuam ego appellationem, nec hili facio; tu ad Phlegethontem abi.* His verbis vtrinq; commutatis, Epiſcopus, cum ſocio, ſtrangulatus ad cælum, Prorex ad Limirienſem vrbem ijt. Non ita diu poſt accidit, vt Prorex cum Barone, animi cauſſa, in campos exſpaciaretur. Et peruenit ad eum ipſum locum, in quo duo Martyres laqueo interempti pependerunt. Ibi Baronem compellans: Ecce, ait falſum Prophetam, qui ad Dei iudicium me citauit; cum anima illius iam caleat in flamma, corpus putreſcat in furca. Hæc Prorex, inſcius, quàm tenui filo

ſua

ſua quoque tunc vita penderet. Nam correptus morbo, qui animam eius, decimo quarto, ab eo, quo ad iudicium vocatus eſt, die, ad Rhadamantum expulit, verè ſenſit, ridentes à Deo irrideri, rectiúsque ſe facturum fuiſſe, ſi, quod Martyri falsò prædixit, ſibimet ipſi ceciniſſet, ac in tempore reſipuiſſet. Sed, vt D. Gregorius ait, *habet hoc prauorum malitia, vt cum vera in ſe flere mala renuit, fingat aliena: Nam, quaſi ſolatio facinoris vtitur, ſi, falſis vocibus, & vita corripientis inquinetur.*

S. Gregor. lib. 10. Moral. c. 3.

## §. X.

*Adoleſcentem vi è religione rapiens à Iudice negligente & iniuſto non damnatus, ad diuinæ iuſtitiæ ſententiam euocatus riſum amarum amara morte luit.*

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 35. §. 2.

Alterius etiam cauſsâ, vadimoniũ conſtituit apud doctũ & ꝓbatæ fidei ſcriptorẽ, alius; de quo eiuſdem temporis author ita ſcribit: *Monaſteriũ S. Iacobi, apud Leodium, notũ multis eſt & acceptũ. Iſtud quidam adoleſcens conſobrinus maioris Præpoſiti, cauſa deuotionis & religionis, intrauit. Quod vt audiuit præpoſitus, indignè tulit: mandat Abbati remitti conſobrinum, per clericos: renuit ille.*

*Tunc*

Tunc Præpoſitus, forti manu collecta ſatellitũ, intrat violenter cœnobium, rapit iuuenem & nudatum ſancto habitu, induit ſeculari. Abbas ergo Monaſterij, collectis primoribus ciuitatis, Epiſcopo queritur, & totum clerum, pro tantis iniurijs, interpellat. Hoc cum indignanter vix vellet audire Epiſcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret: flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum, dixit Præpoſito: Iudicem contra te, ô Præpoſite, in terra habere non poſſum, & ideo contra te Deum ſummum iudicem interpello, vt infra 40. dies vterq; noſtrum compareat, coram illo, ſententiam pro meritis acceptans. Ad hoc Præſul cachinnans cum ſuis irriſit hominem atq; ſpreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? 40. die, circa nonam, mortuus eſt dictus Abbas: & cũ pro eo ſolemniter pulſaretur, ſedens in balneo Præpoſitus, quæſiuit à circumſtantibus, quid hoc eſſet? Mox quidam ingrediens, & requiſitus de ſonitu campanarum, reſpondit, Abbatem S. Iacobi modò eſſe defunctũ, & pro eo pulſationem fieri tam ſolemnem. Illico recordatus Præpoſitus, quadrageſimam diem eſſe, qua ſe citatum, coram ſummo iudice, audierat ab Abbate, conſternato animo, dixit ſuis: Citò videte, quid faciam, mortuus ego ſum: compare-

 re me

*re me hodie ſummi iudicis conſpectibus oportebit. Nec mora, poſt verba hæc, cum balneum egredi feſtinaret, in aſtantium manibus, cum diro eiulatu, & vocibus, expirauit; ibi procul dubio reſpondere compulſus, vbi cauſarum ſtrepitus ceſſant, iuriſperitorum aduocatio conticeſcit; vbi nec preces, nec precium liberabunt, vbi nec interlocutoria iudicis ſententiam protelabunt.* Clarè hinc perſpicitur, etſi iudices, in hoc Mundo, officio ſuo deſint, non tamen deeſſe Deum, qui iudicet; eúmque Præpoſitis, ac Principibus longè eſſe potentiorem.

## §. XI.

*Voluiſſe quidem Deum ordinariè hominibus futura eſſe incerta; ſæpe tamen etiam profuiſſe, vt de hora mortis certiores redderentur.*

Xenophō lib. de dictis & factis Socratis. Euſeb. l. 14. de Præpar. c. 4.

Socrates ſapientiæ, apud profanos, ſimulachrum, teſte Xenophonte ac Euſebio, hanc pronunciauit ſententiam, *cognitionem futurarum rerum, quæ in poteſtate Dei ſunt, non eſſe hominibus procurandam: neq; enim poſſe homines eas res cognoſcere, nec Deo gratum eſſe, ſi quæ ille occultauit, ea mortales velint nimis ſtudioſè curioſéq; cognoſcere.* Immo & ipſe Chriſtus, cum diſcipuli eius curioſa in-

terrogarent, dicentes: *Quando hæc erunt?* Matth. 24. 4.
ad quæſtionem hanc non reſpondit, ſtatim ad ſigna aduentus ſui tranſgreſſus: alia autem vice, apertè dixit: *Non eſt veſtrum, noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Act. 1. 7. Abdita nimirum, & ſoli Deo reſeruata huiuſmodi euentorum cognitio eſt, quæ ex libera vel Dei, vel etiam hominum pendent voluntate. *Quis noſtrum docere audeat, vel ſe ſcire præſumat, quod Deus ille magiſter, nec eos diſcipulos docuit, à quibus præſentibus interrogatus eſt præſens; nec illi tunc ſancti magniq; doctores Eccleſiam docere potuerunt?* S. Auguſtin. epiſt. 80. Ita planè eſt, ſi de ordinario agendi modo loquamur. Extra ordinem, ſi nulli eiuſcemodi futura præſciuerunt, quid erit de Prophetis ſentiendum? Quemadmodum igitur Prophetis, ita etiam multis alijs Deus futura quædam reuelauit; immo & ipſas mortes, ac horam mortis eorum: vti Caſſio Narnienſi Epiſcopo, apud D. Gregorium; AEmilianæ ac Tharſillæ, & Ruperto, qui id de ſeipſo ſcriptum reliquit: immo & ipſis peccatoribus, vt de Prætextata S. Hieronymus narrat. Tametſi enim, vniuerſim loquendo, hominibus vtilius ſit, neſcire certum mortis diem aut horam, vt ſemper vi- S. Greg. l. 4. dialog. c. 36. Ib c. 16. & homil. 38. in Euang. Rupert. in c. 12. Matth.

 gilent

S. Hieronym. epiſt. 7. gilent ac ſoliciti ſint, de Domini aduentu; nec pij habeant cauſſam remiſſioris, impij ſecurioris vitæ: profuit tamen etiam multis, horam mortis ipſis antè fuiſſe denunciatam. Sic enim vel metu acti peccata re- Supra §. IX. tractauerunt: quod, paulò ſupra, Comiti Hannonię oſtendimus contigiſſe. Quin iſtis quoque ipſis, ad certum diem, ex inſtinctu Dei, in iudicium diuinum citatis, ad maiorem confuſionem, damnationémque cedet, ſi citati, ſe non corrigant, ſed emendationem de die in diem differant, quod ſupra Supra §. X. memorato Præpoſito euenit, qui ſerò nimis dixit: *Citò videte, quid faciam, mortuus ego ſum*, hoc eſt, tam certò moriturus, ac ſi iam mortuus eſſem. O ſtulte, citiùs videre debuiſſes, quid tibi eſſet faciendum. Serò mortem fugit, qui iam mortuus eſt; nec poteſt iudicium declinare, qui iam aſtat tribunali. In nulla re vel malitia hominum pertinacior, vel bonitas Numinis clementior poteſt demonſtrari, quàm cum demonſtratur, homines ſibi malè conſcios, etiam de die mortis, à benigno Deo, per ſanctos, admonitos, tamen in malitia, perſtitiſſe. Neq; neceſſe eſt, eiuſcemodi citatores miraculis claros haberi; ſatis eſt, ſi ſint in ea re innocentes, in qua iniuſtè patiuntur.

## §. XII.

*Menuercum Epiſcopum iudicium Dei intentantem ridens in iudiciũ rapitur: Burchardus Epiſcopus, & Mehingerus Abbas arbitrium litis de decimis, ad Deum ſecum afferunt ſubita morte extincti.*

Menuercum decimum Paderbornenſem Epiſcopum, Anno 1003. quidam Monachus Corbeienſis, Boſo nomine, graui contumelia affecerat. Cum enim Menuercus collapſam Monaſterij Corbeienſis diſciplinam, in priſtinum vellet nitorem reuocare, poſt Walonem Abbatem loco motum, Boſo ſacrarij cuſtos veſtes ſacras negauit, & quæ attulerat Præſul, ab ara, proiecit; monitúſque ſæpius, grauiúſque, proteruè obſtinauit. Epiſcopus, pro tanta iniuria, nihil aliud repoſuit, quàm vt diceret: *redditurum Altiſſimo facti rationem.* Quod ipſum vel conſcientia Monacho dictauerat. At verum eſt: *Peruerſi difficilè corriguntur.* Quare etiam Monachus iſte prædictionem flocci pendens vaticinium pariter atq; Epiſcopum cachinno excepit. Sed & iſte riſus dolore fuit miſcendus, immo finiendus. Nam Epiſcopo diem ſuum paſſo defunctóque Monachus, cum nihil morbi prorſus ſentiret,

Cranzius l. 4. Metropol. c. 4. Gotſchalcus ſerm. 16. part. æſtiu.

Eccleſ. 1. 15.

ea, ipſa, qua Epiſcopus, hora, expirauit. Litigabant de iuribus Eccleſiarum ſuarum, & Saxoniæ decimis, tempore Henrici IV. Burchardus Halberſtadienſis Epiſcopus, & Mehingerus Abbas Herfeldenſis. Cum nullus cedere vellet, nullus litem amittere; arbitrium eius in Deum traiecerunt, ſe ſe inuicem ad Dei tribunal euocantes. Die dicta, vterque repentè è vita diſceſſit. Vter lite ceciderit, in occulto eſt, illud conſtat, citationem valuiſſe. Sunt qui narrent, Abbatem Herfeldenſem decimis, per vim & iniuriam ſpoliatum; ſub vitæ finem Antiſtiti nunciari iuſſiſſe: ſe quidem viribus imparem; cauſſa meliorem cedere, atq; etiam vita excedere, ſed Deum iudicem futurum, ad quem appellaret. Pararent igitur ſe ambo, cauſſam in illo tribunali dicturi, vbi gratia & potentia ſpretis, ſola iuſtitia vim obtineret, & iniuſtitiæ prævaleret: neque diu poſtea Abbatem febri obijſſe: eodémq; tempore, Epiſcopum, cum equum conſcendere vellet, velut fulmine ictum, concidiſſe, deſijſſéque, his vocibus viuere: Abripi ſe ad diuinum tribunal, ibíque iudicandum. Iuxta hanc narrationem, melior videtur citantis, quàm citati cauſſa extitiſſe. Ex his perſpici-

In Ana-lib. Bo-iorú l. 4. & Lambert. Schafnaburgenſis.

ſpicitur, Deum prouocationes quaſdam, velut legitimas admittere, ac ſæpe vnum, alterius cauſſa, è vita exturbare: ne iniuſtitia dominetur, & triumphet.

## CAPVT. V.

### *An etiam ſe mutuò amantium, ſimúlque mori orantium preces licitæ; & quando illæ, ſicut & citationes ſupra dictæ exaudiantur, vel non exaudiantur?*

### §. I.

*Heriberto Eremitæ Cuthbertus, ex amore, ſecum mori impetrat.*

ET cur, iuſtitiæ cauſsâ, duos ſimul mori non permitteret Deus, qui id ſanctis ex miſericordia conceſſit? Beda refert, Heribertum pietate inſignem Eremitam, quotannis, ad Cuthbertum Epiſcopum ventitare ſolitum, vt ab eo ſalutaribus monitis ad perfectionem augendam incitaretur; tandem ei Epiſcopum vltimùm vale dixiſſe, quòd ſciret, diem ſuæ reſolutionis inſtare. Heribertus qui Cutbertum, eximiè amauerat, ad pedes illius ſe proſternens, cum lachrymis inquiebat: *Obſecro, per Dominum, ne me deſeras: ſed tui me-*

Beda lib. 4. hiſtor. Eccl. cap. 29.

*mor ſis fideliſſimi Sodalis, rogéſq; ſupremam pietatem, vt, cui ſimul in terris ſeruiuimus, ad eius videndam gratiam ſimul tranſeamus ad cælos. Incubuit precibus Antiſtes, ſtatimq; edoctus in ſpiritu, impetraſſe ſe, quod petebat à Domino: Surge, inquit, frater mi, & noli plorare, ſed gaude, quia, quod rogauimus, ſuperna nobis clementia donauit. Cuius promiſſi & prophetiæ veritatem ſequens rerum aſtruxit euentus; quia & digredientes ab inuicem non ſe vltra corporaliter viderunt; ſed vno eodémq; die, hoc eſt, Kalendarum Aprilium tertia decima egredientes è corpore ſpiritus eorum, mox beata inuicem viſione coniuncti ſunt, atq; Angelico miniſterio pariter ad regnum cæleſte tranſlati. Sed Heribertus diutina priùs infirmitate decoquitur; illâ, vt credibile eſt, diſpenſatione Dominicæ pietatis, vt ſi quid minus haberet meriti à Cuthberto ſuppleret hoc caſtigans longæ ægritudinis dolor; quatenus æquatus gratia ſuo interceſſori, ſicut vno eodémq; tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam vna atq; indiſſimili ſede perpetuæ beatitudinis meruiſſet recipi.* Habemus ergo & cauſam cur multos ſæpe innocentes, immo etiã Religioſos viros Deus ſinat diutinis morbis afflictari, ſcilicet ad maiorem, in cælo, coronam promerendam; & in-

& inſuper, Deum exaudire ſanctos pro ſe inuicem orantes, non vt illis vita iſta mortalis prolongetur; ſed vt, poſt vnius mortem, mors alterius, in hac lachrymarum valle, non differatur; atque, vt, qui vnà Deo, in omni vitę auſteritate, ſeruierunt, etiam vnà Deo, in æterna beatitudine perfruantur.

§. II.

*Cur aliquis ſibi, & quando poßit, vel non poßit mortem, ex amore, deſiderare?*

Et cur hoc alij impetrare conantes, peccent, cum ſic alios diligant, ſicut ſemetipſos? Nam qui charitate Dei ac ſui ardent, ſæpe exclamant: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, præſertim quia eos tot corporis & animæ mala, in hac peregrinatione, ad patriam faciunt calidiſſimè ſuſpirare. Quis enim exul ad patriam non aſpiraret? Et prudens peregrin⁹, (niſi proxmi ſalus aliud exigat) cum Apoſtolo, magis cupit à corpore, quàm à Domino peregrinari. Quis nō mallet cum Angelis, & ſocietate beatorum habitare, quàm *cum habitantibus Cedar*, hoc eſt, cum barbaris ac efferatis gentibus, quæ non habitant in ciuitatibus, ſed in tentorijs, ijsque nigris & ruſticis, quales ſunt Arabes? per quos ipſi etiam

Pſal. 119. 15.

cacodæmones, Principes tenebrarum harum diaboli, ac homines, ipſis diabolis peiores intelliguntur. Ne autem aulici hinc ſe excipiant, qui in clariſſimis vrbibus habitant, nôrint ipſa etiam palatia Principum ac Regum *Cedar*, hoc eſt, tabernacula eſſe ruſticorum, ſi ad cæleſtis Hieruſalem manſiones comparentur. Hinc ſanctorum voces ſunt: *Multum incola fuit anima mea. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrũ. Coarctor deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ita orare cum ex charitate quis pro ſemetipſo poſſit, cur nõ poſſit etiam pro alio? præſertim cupiente, & vitam beatam miſeræ vitæ præferente? Nam multi adeò diligunt hanc miſeram peregrinationem, & *tabernacula Cedar* tenebricoſa, vt nihil triſtius audire poſſint, quàm ſermonem de diſceſſu ex hac vita. Tales non cupiunt pro ſe orari, vt de corpore mortis huius liberentur. Quamquam & qui pro ſe, & qui pro alijs orant, vt citò poſſint eſſe cum Chriſto, illam vtique orationi ſuæ conditionem includunt, quam incluſit S. Martinus orans: *Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem;* quam etiam

Philip. 1. 21
Rom. 7. 24.

Apo-

Apoſtolus non diſſimulauit, ſcribens: *Co-* Phil. 1.
*arctor autem è duobus: deſiderium habens*, ve- 23.
lut à portu, aut à tabernaculorum funibus,
aut vinculis, aut à corpore mortis, ſeu ca-
dauere, cui alligata eſt anima mea, diſſolui,
*& eſſe cũ Chriſto*, quod eſt, *multò magis me-*
*lius*, ſeu optimum (hoc enim Hebraiſmus
ſignificat) *permanere autem in carne, neceſſa-*
*riũ propter vos*. Si enim Deus vult nos viue-
re, ꝓpter inſtitutionem proximi, tanti faci-
enda eſt charitas, vt etiã beatæ eiuſcemodi
morti, immo ipſi quoq; martyrio, vt D.
Chryſoſtomus docet, ſit anteferenda. Hæc S. Chry-
proximi neceſſitas ſi deſit, rectè ille à D. ſoſt. ho-
Auguſtino laudatus Epiſcopus moriturus mil. 78.
circumſtantibus atque eum retinere volen- in Matth.
tibus dixit: *Si aliquando, cur non modò?* Re- Poſſidon.
ctè etiam Climacus: *Probatus ille eſt, qui* in vita S.
*mortem ſingulis diebus expectat; ſed ille ſanctus,* Auguſti-
*qui eam ſingulis horis deſiderat.* Deſiderabat ni. c. 27.
Romana virgo Praxedes, *quæ, cum tantam* Climac.
*Chriſtianorum ſtragem iam ferre non poſſet;* grad. 6.
*Deum precata eſt, vt, ſi mori expediret, ſe è* in Breui-
*tantis malis eriperet.* Deſiderauerunt idem ario Rõ.
alij innumeri. Quod ergo ſibi non ſolùm 21. Iulij.
fas eſt optare, ſed etiam ex charitate deſi-
deratur, cur non poſſet etiam frater cha-

riſſimo fratri, ſoror ſorori, vxori maritus, vel marito vxor, aut alius amicus amico dilectiſſimo & deſiderare, & precari? cum hoc ſit, illi precari, pro terra cælum, pro miſeria felicitatem.

§. III.

*Mortem vita fuiſſe gratiorem, teſtati ſunt v-nus a Mutio Abbate, & alter a S. Fortu-nato Epiſcopo in vitam reuocatus.*

Neque opinandum eſt, id alterum nolle, ſi Deum atque æterna ſeriò amet; cum etiam ingratum fuerit ijs, qui iam defuncti erant, ad vitam reuocari. Narrat Ruffinus, Mutium miræ ſanctitatis Abbatem, vt ad diſcipulum moriturum longè abſentem poſſet peruenire, ſolem, inſtar Ioſue, ſtitiſſe. *cúmq; inueniſſet eum iam defunctum, oratione facta, oſculatus eſt eum, & ait: Quid magis deſiderij habes frater, abire & eſſe cum Chriſto, an permanere in carne? Tunc ille, recuperato ſpiritu, paulùlum reſedit, & ait ad eum: Quid me reuocas Pater? Melius eſt mihi redire, & eſſe cum Chriſto; permanere autem in carne mihi neceſſarium non eſt. Cui dixit: Dormi ergo in pace, fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans ſe in lectulo obdormiuit.* Pari modo Marcellum S. Fortunati Epiſco-

Ruffinus in Vitis Patr. lib. 2. c. 9.

piſcopi Tudertini precibus à morte ſuſcitatum memorat D. Gregorius, ingemuiſſe, & dixiſſe: *O quid feciſti? ô quid feciſti?* Neq; aliter ad vitam reductus ingemuit S. Saluius Epiſcopus, vt copiosè refert Gregorius Turonenſis. Eiuſcemodi exempla extant complura, è quibus conſtat, Deum amantibus mortē vitâ fuiſſe gratiorem; idq́; non tantùm, quia, per mortem, hac vitæ moleſtia liberatis, ad pacem ac quietem via eſt, qui eſſet amor cõcupiſcentiæ; ſed præcipuè, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non ita poſſit cæleſtia cogitare, ſed ad corporis neceſſitates & concupiſcentias deprimatur; in cælo autem his vinculis libera Deum purè & continuò poteſt amare; qui eſt amicitiæ amor. Ob quem etiam, ſi neceſſe eſt, ſancti parati ſunt, diutiùs inter homines, propter homines iuuandos, vitam trahere. Vnde, teſte Poſſidonio, laudare ſolebat S. Auguſtinus ſententiam S. Ambroſij è vita diſceſſuri, qua ſuis flentibus ac rogantibus, vt à Deo longiorem poſceret vitam, reſpondit: *Non ſic vixi, vt pudeat me, inter vos, viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Nempe, ad vtrumq; paratus, noluit vitam

S. Greg. l. 1. dial. c. 2.
S Greg. Turon. lib. 7. Franc.

Poſſidon. in vita S. Auguſtini. c. 27.

pro-

prorogare, vt eam, cum meliore vita, commutaret.

## §. IV.

*Nulli iniuriam fieri, ſi ad mortalem vitam reuocetur; cum id ei prodeſſe poſsit.*

Luc. 8. 5. Luc. 7. 11. Neque idcirco putandus eſt Chriſtus vel iniuriam, vel moleſtiam intuliſſe ijs, quos à morte ad vitam excitauit; vt cùm Iairo principi Synagogæ filiam, & viduæ filium, ante ciuitatem Naim; ac ſororibus fratrem Ioan. 11. 43. Lazarum; illam domi & de lecto; illum foris, & de capulo; iſtum in campis, & de ſepulchro reddidit: item quando *monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* (Matth. 27. 53.) Tunc animæ horum excitatorum nondum Dei viſione fruebantur, facilè igitur vel è limbo Patrum, vel è Purgatorio, ſe ad corpus retrahi paſſæ ſunt, vt vel hîc ſatisfacere, vel merita ſua poſſent accumulare. Quod etiã de ijs, qui in veteri Teſtamento, reuixerunt, dici poteſt; & de ijs quoq;, quos alij ſancti, in nouo Teſtamento, precibus denuò animauerunt. Certè, quos conſtat, è Purgatorio redijſſe, libenter, in hac vita longis annis varios labores ac cruciatus ſuſtinuerunt, vt pœnas alterius vitæ exhaurirent. Nulli cælo addi-

cti in vitam mortalem ſunt reſtituti. Ad paucos dies, immo horas his reſtitui, eſſet graue: & mallent vtiq; denuò mori, quàm conſortio carere beatorum.

§. V.

*Poſſe quidem vnum pro alterius, ad meliorem vitam, tranſitu orare: ſed hîc cautela opus eſſe.*

Ex quibus omnibus duo deduco. Primum, poſſe, ſine iniuria, vnum amicorum aut ſociorum, pro altero orare, vt Deus eum citò, ex hac miſera vita, ad alteram felicem educat, & ſecum in cælo beatum faciat. Si enim id pro ſe, quem amare arctiùs obſtringitur, facere poteſt, cur non etiam id poſſit pro altero? Dummodo ex vero, & non ſimulato, amore, aut odio, id faciat. Noui, in celebri Germaniæ ciuitate, arcularium, qui vulgò probus & vxoris ſuæ amans eſſe putabatur. Is lue, cum vxore ſua, correptus ad extrema perductus, anima iam fugiente, audiuit, vxorem ſuam iam eſſe extinctam: quo nuncio lætus dixit: iam & ego libens moriar, poſtquam certus ſum, me illam, poſt me, non relinquere, dudum dignam mori. Dixit. & ipſe mox ſecutus, neſcio, quam dicti ſui mercedem reportârit.

Alio

Alio fine ſancti alijs mortem vel optant vel orant. Quamuis rariſſimè; cum pronum ſit cogitare, eos vtiliùs ad laborem laborísque prœmium, in hac vita ſupereſſe: nec manus inijcienda ſit ſceptro ſupremi Gubernatoris, cuius prouidâ diſpoſitione fortaſſe tales adhuc *Plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei noſtri florebunt, & adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi; & benè patientes erunt, vt annuncient* laudem omnipotentis.

Pſal. 92. 13.

## §. VI.

*Qui alios ad diuinũ tribunal citant, id ex odio, aut vindicta facere non debere.*

Alterum, quod deduco, eſt: tametſi Deus, perinde iuſtitiæ ac amicitiæ fautor, ſubinde exaudiat iniurijs ita preſſos, vt alios non iam ſecum triumphaturos, ſed, ante diuinum tribunal, diſceptaturos, ad vallem Ioſaphat, aut Dei iudicium particulare, citent; non tamen exaudire eum illos, qui charitate deſtituti, ita cum alijs agunt, vti ſecum agi non vellent. *Voluntatem timentium ſe facit.* Qui autem charitate proximi deſtituuntur, Deum non timent. Neque ſanè vllus vellet iniuſtè ipſe vel ad ciuile tribunal, ne dum ad diuinum, vocari. Ergo qui

Pſal. 144. 19.

qui iniuſtè alios ad hoc vadimonium venire iubent, non ſolùm grauiſſimè peccant, dum alijs faciunt, quod ipſi ſibi fieri nollent, atq; eos, quos citant, tanquam innocentiæ oppreſſores, iniquiſſimè ſuggillant; ſed etiam à Deo non exaudiuntur; ex odio enim, aut iniuſta vindicta alios volunt è vita expelli; ſtultéque arbitrantur, Deum cæco furori mendacijsque calumniantium cooperaturum. Aut certè ſperant, hoc pacto, citatos minaci terrore vſque ad lethalem triſtitiam concutiendos. Poteſt enim tam proterua citatio nonnullos meticuloſos, & vel vmbram timentes, ita potenti terrore percellere, vt ex ipſo metu imaginationéq; mortis, in morbum & mortem prolabantur. Panicus quidem & vanus eſt timor, ſed multos, ſi non omnino occidit, ſaltem vehementer angit.

## §. VII.

### *Ab innocentibus, & ſibi nihil conſcijs, non eſſe metuendas eiuſcemodi deſperatorum citationes.*

His talibus inculcandum eſt, Deum odio alterius aut falſitati non patrocinari. Itaq; ſi ex æquo vel fecerunt, vel iudicauerunt; ſi conſtat de facti aut ſententiæ, ob quam

citantur, iuſtitia; poſſunt meritò eiuſcemodi citationem nihili facere. Deus iuſtus eſt, cuius oculus omnia videt, nouitque, qui ſint nocentes vel innocentes. Deus ſupremus iudex eſt, cuius vice iudices ceteri funguntur. Præmium ergo ab illo, non ſupplicium debent exſpectare, qui, in tali caſu, aut innocentes ſunt, aut iuſtè iudicauerunt. Ita vidi à quodam Religioſo Superiore rideri & contemni, cum à podagrico valdeque impatiente Religioſo (cui vinum negauerat vtique nociturum) in vallem Ioſaphat citaretur. Adeò nihil effecit ea citatio, vt ægrotus, quantumuis podagricis pedibus, tamen ferè triginta antè annis, cucurrerit ad diuinum tribunal. Principem quoque noui, qui à compluribus ſagis, quas rogo iuſtiſſimè addixerat, ad Dei iudicium nequicquam eſt inuitatus. Arſerunt ſagæ, Principi nihil mali euenit. Idem feciſſe legitur magnus ille militum Imperator Gundizaluus Ferdinandus de Corduba: *qui, cum Tarentum obſidens maleficum quendam ſeditioſumq́;* inquit Iouius, *militem ad ſupplicium duci iuſſiſſet; illéq́; multùm reluctatus ſe iniquiſſimè damnari vociferaretur, & proinde Gonſaluum, ad dicendam cauſſam ad Dei maximi tribu-*

Iouius in vita Gonzalui.

*tribunal, magna voce, citaret: Vade, inquit, Gonſaluus, feſtinaq́ꝫ confiſus optimo iudici, & cauſſam inſtrue. Nam ibi, pro me aderit, qui opportunè reſpondeat Alfonſus frater; qui nuper ex Serra Vermegia, in cælũ contendit. Tum enim Gonſaluo nunciatum fuerat, fratrem à Mauris circumuentum, dignam forti pióq́ꝫ duce mortem oppetiſſe.* Ad horum exemplum quiſquis eſt innocens, poteſt meritò ſpernere temerarios prouocatores. Non ſunt audaces iſti Leontiſci, apud Deum, tanti, vt, ad illorum arbitrium, forum agat. *Voluntatem timentium ſe facit;* Deum timentes, nihil mali petunt, aut dictant. Mali homines non ſunt boni Dictatores. Pſal. 144. 19.

## CAP. VI.

### *Ob eiuſcemodi citationes à Deo exauditas, magno diuinorum iudiciorum metu affici debere alijs iniurioſos, cuiuſcunq́ꝫ ſtatus aut conditionis ſint.*

### §. I.

*Iudices iniuſtos, meritò metuere poſſe, ſi quis, ab illis, ad ſupremum iudicem appellet.*

VT etiam exemplum faciat Deus, & grandes grandium iniurias, ſi-

milis exitus metu, refrænet, ſæpe preces & vota citationéſque exaudit eorum, qui vel à Principibus aut iudicibus iniuſtè damnati, per vim, ad mortem trahuntur, vel atrocem calumniam patiuntur, à qua eos alius nemo defendit. Itaque, intra condictum certum tempus, aliqui ita citati è vita extruduntur, judicij ſui iudicium ſubituri; qui alioquin adhuc diu ſuperuixiſſent. Longanimis quidem eſt Deus, & dormire multis videtur, ſed ſæpe etiam repentè, & in furore, arguit peccatores; præſertim cum innocentia iuſtitiáq; oppreſſa ad eum de terra clamat. Qua de cauſſa
Pſal. 4. 2. Pſaltes ait: *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Et multi ſunt, qui vim paſſi Dei manum, non irritis votis, inuocauerunt, atque idcirco, nunc, in cælo,
Pſal. 9. 1. canunt: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua*, inter quæ eſt illud: *Quoniam feciſti iudicium meũ & cauſſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* Nam quia iudices ſæpe vel ignoratione errant; vel affectu præcipitant ſententiam; vel dubia pro certis arripiunt, vel probabilem contrarij metum diſſimulant; meritò & ipſi à ſupremo omnium Iu-

dice

dice Deo, cum iudicijs, iuſtitiisq; ſuis, iudicantur; atque extra ordinem plectuntur, qui alios, contra ordinem, tyrannica crudelitate, puniuerunt.

§. II.

*Dux immitis, à milite citatus, ad diuinum tribunal, dicto die, & hora, moritur.*

Huius rei, præter ſuperiùs commemorata exempla, vtile erit & alia recenſere. Atque vt, modò dicto militi reo, militem innocentem opponam, narrat Guilielmus Ferdinandus ab Effrem de Germano milite, iuuene, ſi ætatem ſpectes, ſi ingenium, faceto; eum, cùm, horâ conſtitutâ, ad excubias vocaretur; in militum corona ſtantem, per iocum, dixiſſe: *Redeunt ad nos excubiæ, vtinam pecuniæ nuncius rediret!* Quàm multis iocari capitale fuit! Neque enim animus dicentis & auris audientis ſemper ſolent conſentire. Adfuit ergo, inter commilitones, etiam tribunorum aliquis, qui exceptum hoc verbum, tanquam ſeditioſum, ad archiſtrategum retulit. Concilium illico vocatur. Trahitur in crimen vox ioco prolata. Cenſetur miles tumultum facere voluiſſe. Capitur. torquetur. capitis damnatur. Non illum excuſatio,

Guiliel. Ferdi. ab Ephré. in Manuali Politico. lib. 5. part. 3.

non innocentia iuuat. Ergo videns nihil prodeſſe, quidquid obtenderet, quidquid obteſtaretur; ineuitabili iam morte, vociferari incipit, & magnis clamoribus Capitaneum citare, præſentique diem dicere. *Poſt tres hebdomades*, inquit, *hac ipſa noctis hora, reddes Deo iuſto rationem, de ſanguine meo.* Sed quaſi ventis locutus eſſet, ita neglectus, hora noctis duodecima, ſtrangulatus, orto die, ad terrorem reliquorum, cũ titulo ſeditioſi in præcordijs affixo, expoſitus eſt. Ex ea hora Capitaneus conſternatus, ſemper in metu vixit. Elapſo termino hebdomadarum, ipſa rurſus hora duodecima noctis, exijt domo, ad excubias viſitandas, ac, ferè in puncto temporis eiuſdem, è ponte nauali lapſus, ſubmerſúsq; docuit, neque in bello quidem, vbi diſciplina ſeuerior neceſſaria eſt, nimis præcipitandum.

### §. III.

### *Britanniæ Dux à fratre interfecto citatus, ad Dei tribunal, ſe ſiſtere cogitur.*

Æneas Syluius Europeæ hiſtor. §. 43.

Quod militiæ Duci accidit, idem etiam alijs ducibus euenit. Britanniæ Armoricæ Franciſcus Dux præfuit, qui reducem ex Anglia fratrem Aegidium læſæ maieſtatis falsò accuſatum, in carcere, barbara immani-

manitate, interemit. Non habuit frater quò confugeret, niſi ad Deum, ad quem prouocauit; effecitq́;, vt Dux Franciſcus, intra breue tempus, de medio ſublatus, neque vitam, neque principatum retineret. Nam paulò ante mortem adiurauit vnum è Franciſcana familia Patrem, vti iret, fratriq́; Duci renunciaret, intra diem quadrageſimum, ei, coram ſummo iudice Deo, cauſſam eſſe peragendam, ac proinde ſe ſiſteret. Franciſcanus mandato obſequens, ad Ducem, in finibus Normanniæ, morantem profectus, fratris mortem & prouocationem denunciauit. Ea denunciatione Dux territus, illicò malè habere cæpit, &, creſcente in dies morbo, ad condictum diem, expirauit. Scilicet, ô Deus, *tu paraſti directiones: iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti*, contra fratrem Eſau olim, nunc autem, pro fratre, contra Franciſcum Ducem; non ſolùm dum *paraſti directiones*, hoc eſt, leges contra homicidium, rectiſſimas, & ad hominis dirigendos mores, crudelitatémq; reprimendam, aptiſſimas; ſed etiam dum contra eundem tranſgreſſorem *iudicium & iuſtitiam* apertiſsimam exercuiſti; neque in annum quidem integrum diſtuliſti. Pſal. 98. 4.

Nimirum etſi ad tempus patiatur Deus innocentes affligi, cædi, occidi: non obliuiſcitur tamen impiorum, quos ſæpe, in terris, ſępe etiam in futuro ſeculo, plectit. Hoc iudicium, altè cordi imprimite, ô fratres, inter quos ſæpe æmulatio parit diſſenſionem, diſſenſio exitium; ſicut & concordia incrementum. Siquidem, vt Poëta cecinit:

*Non caret effectu, quod voluêre duo.*

### §. IV.

*In hoſtem immitis, ad Deum Iudicem, in ius vocatus, præſcripto die, è vita, atq; ad Iudicem diſcedit.*

Addo huic Duci alterum Ducem, non iam cum fratre, ſed cum hoſte, immitiùs agentem. Genuenſium triremes, è Liguria, aduerſus piratas, emiſſæ, biremem Gotholanam ceperunt aliquando. Ibi victoriâ inſolentes, gubernatorem biremis, extra Drepanum, in ignominiam Siculorum Gotholanorúmque, nocturno tempore, in furcam ſuſpenderunt. Ille, vt vitam conſeruaret, ad preces ſe dimiſit; excuſationes obtendit, nihil vnquam ſe Genuenſibus nocuiſſe, proteſtatus. Omnia fruſtra. Vt ergo tandem intellexit, plus odiũ gentis, quàm æquitatem, apud Genuenſem trierarchum, valere,

Fulgos l. 5, c. 6.

valere, iuſſit illum, ſe ſequi, atq; intra ſextum menſem, ante diuinum tribunal, comparere, vt inhumanitatis tantæ rationem redderet. Audijt Deus vocantem; & condicto tempore, Ligus diem iudiciúmq; ſuum, obijt. Scilicet neque in hoſtem eſt Lemnia manu ſæuiendum; qui etiam victus ab homine, vt homo, eſt tractandus.

§. V.

*Damnatus Eques Auratus ad mortem, prouocat ad Iudicem ſupremum, & poſt ſe trahit damnatorem.*

Addo & tertium Ducem. Nam auctor eſt Ioannes Pauli, Rudolphũ Auſtriæ Principem, Equitem Auratum damnaſſe vt culleo inſutus mergeretur; Equitem autem, conſpecto Duce, exclamaſſe: *Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal, intra annum, te voco:* cui ille, cum ſarcaſmo, irridens reſponderit: *Benè, præito; ego tum adero.* Vertente anno, Dux in febrim incidens appellationis recordatus, ſeruos affatus dixit: *Tempus mortis meæ inſtat, & ad iudicium eundum.* Dixit. & vixit. oſtendítque, in hac curia, etiam ſine vadimonio, non irritam eſſe vadationem.

## §. VI.

*Rex Ferdinandus inauditos damnans, exemplo ſuo docet, eſſe qui etiam reges malè iudicantes iudicet.*

Ritius l. 3. de regib. Hiſp. Mariana in Hiſp. Annal. lib. 15. c. 11.

Suppetunt & Regum exempla, quibus docetur, innocentum citationes ſæpiſſimè non eſſe irritas. Tradunt Ritius & Mariana, Ferdinandum III. Legionis & Caſtellæ regem mandaſſe, vt duo è Caruaialiorum familia, fratres Petrus & Ioannes, ambo nobiles, inauditi, tanquam perduellionis rei, & ob meram ſuſpicionem, è turri, vel rupe formidandæ altitudinis, præcipites iacerentur. Hi duo neq; teſtibus, neque alijs probationibus conuicti, obiectum crimen conſtanter negauerunt. Sed quia nihil effecerunt negando, innocentiâ freti, tandem ad diuinum iudicium appellârunt, regique iuſſerunt denunciari, vt inibi ſe, ad triceſimum diem ſiſteret. Non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed omnibus idem. Perinde regem iudicat, ac plebem. Itaque & Ferdinandus rex, animi ſecurus, cum contra Mauros, in caſtra abijſſet, morbo ſtatim tentatus Giennium conceſſit, atque 7. Idus Septembris, hoc eſt, ipſo poſtea triceſimo à ſupplicio Nobilium die, repentinâ morte ſub-

te ſublatus & in lecto mortuus repertus eſt, in ipſo ætatis flore; annos natus non plures, quàm viginti quatuor, menſes nouem. Quo Dei ſupremi regis iudicio intellecto, proceres & populus rectè dicere potuerunt: *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt: & honor regis iudicium diligit. Magnum nomen*, quia magni Dei; *terribile*, quia potentiſſimi regis & reges ipſos iudicantis; *ſanctum* quia iuſtiſſimi iudicis. Siquidem regia ſanctitas dignitáſque id exigit, vt rex iudicium diligat; hoc eſt, vt perſonam non reſpiciat, ſiue ea è ſtabulo, ſiue è throno prodeat; vt non diſſimulet crimen timore; nec furore exaugeat; vt denique amore iuſtitiæ conſeruandæ iudicet; quod non ſemper in alteram vitam differt, vt doceat etiam vicarios ſuos rectè iudicare.

Pſal. 98. 3.

## §. VII.

*Cardinales ab Epiſcopo ad alterius vitæ iudicium venire iuſſi, experiuntur non ridendos eſſe gemitus iniuſtè oppreſſorũ.*

Venio à purpura ad purpuram, hoc eſt, à Regibus ad Cardinales. Nam Anno *1154.* Friderico AEnobarbo Imperante, Henricus Moguntinus; vel, vt alij volunt, Wormacienſis Præſul, falsò, & per calumniam

Conrad. in Chronic. Moguntino. & l. Lipſius lib. 3.

quaſi

Monitor. polit. c. 31.

quaſi ad Pontificium inidoneus, Romæ accuſatus; Arnoldum miſit ad calumniam diluendam: quam nequam aduocatus magis accendit, corruptóſque nonnullos, ad ſe traxit. Igitur innocens Henricus, à duobus Cardinalibus, quos Pontifex Eugenius III. ad cauſſæ cognitionem delegauerat, iniuſtè damnatus & abdicatus eſt, ipſo Arnoldo ambitioſo calumniatore, in locum eius ſuffecto. Henricus exinde mœrore confectus his poſtremùm verbis iniquos iudices appellauit: *Iniuſtè iudicaſtis. Appello igitur ad IESVM Chriſtum æquiſsimum iudicem; ibi reſpondebo. venite.* Rem tam ſeriam illi ioco eludentes, *Cum præceſſerit*, aiunt, *nos ſequemur.* Nemo ſe tanti facere debet, vt cum Deo audeat iocari; aut à ſe oppreſſam iuſtitiam contemnere. Sera ſubinde, ſed certa eſt vltio. Siquidem & hi Cardinales, ſibi ipſis ludendo vates, Henricum reuera ſunt ſecuti. Henricus enim, poſt annum ferè & dimidium, fato conceſſit. Morte illius audita, purpurati illi Patres veterem iocum repetentes dixêre; *Ecce præceſsit, nos ſequemur.* O miſerè iocoſi iudices, non iocum, ſed vaticinium veſtrum repetiuiſtis. Eſt, qui audiat iniuſtè oppreſſos, Deus. Eſt, qui

qui iudicia veſtra vnam tantùm aurem, & linguam accuſantium duntaxat ſequentia iudicet, maior iudex. Quamobrem funeſtum vobis iocum fuiſſe, euentus docuit. Quippe, vna vos dies ambos morti obiecit, vt author eſt Nauclerus; nec morti modò ſubitæ, ſed etiam infelici ac miſeræ. vnus enim, velut rabie actus, digitos proprios arrodens; alter, Arrij morte, in latrinis fœtentem animam efflauit. Ita *contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoq; dijudicat:* & diuina iuſtitia, nec purpuras veretur, nec tiaras. Ita Altiſſimus ſummos etiam vertices ſub ſe habet. Neque regias tantùm, ſed etiam Imperatorias coronas iudicio arceſſit, *qui non accipit perſonas principum, nec cognouit tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius ſunt vniuerſi.* Prou. 18, 18. Iob, 34. 19.

§. VIII.

*Imperator Otho à filio ad diuinũ Prætorem euocatus, inde ſententiam accipit, vnde ius ſtabat.*

Tranſeo igitur rurſus à Cardinalibus ad ipſos Imperatores, qui, cum peccant, Deo ſoli peccant; nec enim alium, in terris, niſi illum formidant. Narrat igitur Petrus Da- Petr. Dã.

l. 2. epiſt. 15 Baron. An. 973. aliter ſe- tit. miani, vir valde ſanctus & Cardinalitiæ dignitatis ſcriptor; Othonem I. Imperatorem Romanum, ab Antiſtite Moguntino Guilielmo (qui filius eius fuerat) propter initum, cum Adelaide, coniugium, Chriſtianâ Apoſtolicáque libertate, grauiter admonitum, ægrè tuliſſe; atq; eapropter comprehenſum in cuſtodiam compegiſſe. Filius vi oppreſſus Othonem parentem, ad Numinis tribunal, ſummum iudicem interpellans citauit his verbis: *Die ſancto Pentecoſtes, ante Dominum IESVM iudicem noſtrum, vterq; comparebimus, & de capite cauſſam dicemus. Vter noſter æquitatis lineā tranſgreſſus ſit, diuinum pandet iudicium.* Neque effectu caruit citatio. Quippe, nonis Maij, hoc eſt, ipſo tunc feſto Pentecoſtes, Otho Imperator, in Saxonia, repentina inualetudine extinctus, ad iudicium adductus eſt, vbi eum filius Guilielmus, & ipſe paulò priùs humanis rebus ereptus, expectauit. Nimirum & parentes in ſobolem poſſunt eſſe iniqui, & Cæſares in ſubditos iniuſti, immo & in non ſubditos. Sed in diuino prætorio, idem ius eſt filio, quod patri; eadem Dice inferiori, quæ ſuperiori.

Iob. 34. 10. *Ideò viri cordati, audite me; abſit à Deo impietas, & ab*

*ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum, reſtituet eis. Verè enim Deus non condemnabit fruſtra, nec Omnipotens ſubuertet iudicium.* Cæſarem poſuit iudicem reliquorum, in cauſſis ciuilibus; ipſe Cæſaris eſt iudex in omni cauſſa. *Quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum.* Apoc. 17. 14.

## §. IX.

*Eques Neapolitanus, contra Clementem VI. & Philippum Pulchrum ius è cælo petit.*

Immo vſq; adeò, Iſaiæ teſtimonio, *Exaltabitur Dominus exercituum, in iudicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia*, vt, ſi vel ipſorum Maximorum Pontificum aures iuſtiſſimis defenſionibus obſtructæ ſint, ipſe audiat, ad cælum vociferantes, *Innocentes ſe accuſari, damnari, mactari.* Nam vt non repetam, quod de Clemente. V. & Innocentio IV. ſupra recenſui, annotauit Fulgoſus, equitem Neapolitanum, ex Templariorum ordine atque cœtu vnum, cum alijs Sodalibus ſuis, vltimo ſupplicio addictum, ad Clementem VI. & Philippum Pulchrum Franciæ regem, ſupplicij ſui authores, &, è feneſtra, ſpectatores, exclamaſſe: *Quando mihi, inter mortales, nullus iam ſupereſt, ad quem*

Iſa. 5. 16.

Fulgoſus. l. 1. c. 6. Meierus l. 2. Annal. & l. 17. Chron. Maſs. Onuphrius. in pp.

Roman. hiſtor. Vide Martinũ Delr. lib. 4. Diſquiſit. c. 4. q. 4. ſect. 1.

*quem appellem; ad iuſtum iudicem Chriſtum, qui nos redemit, appello, vt ante eius tribunal, intra annum & diem, vos ſiſtatis, vbi cauſſam meam exponam.* Intra id tempus, vterq; præmatura morte abreptus in diuinum ius ambulauit. Et Clemens quidem repentè mortuus eſt, Philippus autem, non multò poſt, habuiſſe etiam ſe mortem in procinctu, ſenſit. Neque calculus temporis huic hiſtoriæ obſtat, cui Meierus, Chriſtianus Maſſæus, & alij conſentiunt, qui Papam & regem eodem Anno 1314. tradunt obijſſe, illum 20. April. hunc 29. Nouembris. Nimirum non vanè, per Iſaiam, dixit maximus iudex: *Hos, qui iudicauerunt te, ego iudicabo.* Iſa. 49. 25.

§. X.

*Ius ſæpe orari, contra potentes, & exorari, ad certa tempora, & temporum momenta.*

Pſal. 2. 10. Hinc diſcite, *& nunc, reges, intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.* Subijciuntur vobis etiam innocentes; ſi eos opprimitis, ſi iniuſtè iudicatis; habent alium iudicem, ad quem appellent, cui veſtra & illorum vita, iuxta eſt. Itaque *id, quod iuſtum eſt, iudicate;* neque ſperate, iudicium de vobis diu procraſtinandum; aut mortem adhuc mul-

multùm diſtare. Deus *voluntatem timentium ſe facit*, & exaudit orantes: *ſecundùm multitudinem impietatem eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te, Domine.* Expellendi ſunt è vita, nec digni, quos terra portet, qui tanta iniquitate eam contaminant impiántque, & Dominum irritant. Parcite cachinnis; ſeria nimis res eſt. Agit Deus cauſſam ſuorum. Nec moras vobis promittite; in foribus eſt vindicta; adeò vt ſupremus arbiter etiam annum, etiam menſem, etiam horam ſibi, de iudicio exercendo, præſcribi ſinat. Quid vos ipſos decipitis? eadem ſæpiſſime ſunt citantis & citati momenta. De Ioanne Turſone, in Gothia iudicium iniquum adminſtrante, Olaus ita ſcribit: *Quendam capite plecti iuſſerat. Is genibus innixus; en morior iniuſtè*, inquit, *teq́; voco, hac hora, ante tribunal Dei, vt reſpondeas, cur me innocentem morti condemnes. Vix autem miſer carnificis manu obtruncatus fuerat, cum etiam iudex de equo corruit exanimis.* Quàm verè Siracides dixit: *Deprecatio pauperis, ex ore, vſq; ad aures Dei perueniet, & iudicium feſtinatò adueniet illi*: ſi illi, ergo & aduerſario illius. Vnum enim eſt iudicium rei & actoris.

Pſal. 144. 19.
Pſal. 5. 12.
Olaus l. 14. hiſtor. Aquilon. c. 20.
Eccli. 21. 6.

## §. XI.

### *Innocentum orationem ita potentem eſſe, ut Deo quodammodo manus inyciat; ſi illi velint iuſtitiæ calcatorem in ius deducere.*

Meminerint oppreſſores iſti, Deum Iudicem non ſolùm ſummum, ſed etiam optimum, iam dudum hanc de ſe parabolam
Luc. 18. 2. dediſſe. *Iudex quidam erat, in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me, de aduerſario meo. Et nolebat, per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens ſuggillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictã electorum ſuorum clamantium ad ſe, die ac nocte, ac patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Satis erat ſi cum iuſto & clemente iudice ſe comparauiſſet; nunc, ſi vidua iudicem ferocem, *qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur*, tamẽ exorauit; quid innocentes de tam iuſto & benigno Deo non poterunt ſperare,

re, aut impetrare? *Multùm valet oratio iuſti*, & tantùm, vt ipſi Gubernatori orbis quodammodo manus inijciat. Nam etſi firma ſunt decreta Dei, vbi tamen hominis interuenit oratio, decreta ſua deſinere, & velut abrogare decreuit, cũ ea, hac lege, atque conditione temperata ſint: *Faciam, niſi obſtet oratio, niſi intercedat pœnitentia* &c. quam, quia vidit interceſſuram, abſolutè decreuit, in tali caſu, à priore illo conditionato decreto deſiſtere; & vel ordinarium etiam mundi curſum interrumpere. Ita decreuerat, ob peccatũ Dauidis, populum, trium dierum ſpacio, depopulari; videns autem plagam, illam magnam, primo ſtatim die, illorum trium dierum, vt obſeruat Nicolaus de Lyra, arámque & ſacrificium ac orationem Regis pœnitentis intuens, duos de pœna dies remiſit. *Et ædificauit*, ait Scriptura, *ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica: & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſraël*. Tres dies aſſignauerat Dominus, ad plagæ illationem; ſed oratio & ſacrificium Dauidis, Domini ſententiam reuocauit. Quod etiam oratio Ezechiæ effecit. Iam protulerat Deus mortis ſententiam, ſed vitam adhuc

Iac. 5. 16.

2. Reg. 24. 25.

Iſa. 38. 1. rex ſibi exorauit. *Hæc dicit Dominus*, ait Iſaias, *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: tunc conuerſus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum eſt illico verbum, ad eundem Prophetam: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam ſuper annos tuos, quindecim annos, & de manu Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam.* Tanta eſt vis orationis, vt per eam Ezechias ſibi, Dauid ingenti hominum numero, vitam prolongârit, etſi Deus oppoſitum decreuerit facere, idq; decretum, lata ſententia, confirmârit. Terreni Principes decreta ſemel emiſſa inuiolabilia volunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus ſinunt ea infringi. Non ita inexorabilis eſt Deus, cuius decretum ac ſententiam vnius hominis oratio poteſt reuocare.

§. XII.

*Orationes iuſtorum, quantam, apud Deum vim habeant, etiam in ipſius naturæ leges?*

Quin adeò multùm valet deprecatio iuſti, apud Deum, vt quodammodo Deo impera-

perare, & in naturæ ipſius legibus diſpenſare videatur. Si gubernatore ciuitatis vigilias obeunte, ei qui facem præfert, miles quiſpiam diceret: Heus tu, ſiſte gradum, & lumen mihi ſuppedita, donec de inimico meo me vindicem; an non miraremur audaciam? quid enim hoc aliud eſſet, quàm præcipere ipſi gubernatori, vt expectet, & ſe duellantem adiuuet? Ita ſupremus ille totius creaturæ Gubernator, aſſiduè Vniuerſum hoc, ſua prouidentia, circuit. Sol autem, tanquam fax, fertur, non quòd ipſi lumine hoc opus ſit, ſed vt ſe cuncta videre declaret. Ioſue igitur generoſus ille miles, contra Chananæos, pugnaturus, auſus eſt exclamare: *Sol, ne mouearis, contra Gabaon.* Quid eſt hoc aliud, quàm Soli ac Deo præcipere, vt curſum ſuum & totius vniuerſi ſiſtat? nam, ſole ſtante, vtiq; etiam luna & ſtellæ, atque cælũ omne ſubſtiterunt, ne debita Mundi ſymmetria perturbaretur. Enimuerò *ſtetit ſol, in medio cæli, & non feſtinauit occumbere, ſpatio vnius diei: non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Quid cupimus amplius? *in diebus* Ezechiæ, etiam *retro rediyt ſol.* Tres pueri, in fornace, orando

Ioſue 10. 12.

Eccli. 48. 26.

ignem refrigerauerunt. Daniel, in lacu, orando leones manſuefecit. Apoſtoli, alijq; Sancti orando mortuis vitam reddiderunt. Denique nihil eſt, quod orando innocentes, apud mitiſſimum ſuũ Iudicem Deum, non poſſint impetrare.

§. XIII.

*Accidi multis vitam, vt contra eos iure agant, qui in hac vita iniuria affecti ſunt.*

Quid hac digreſſione autem, me velle demonſtrare putatis? Nempe illud, tametſi alioqui naturæ vires multis tantæ eſſent, vt adhuc longam ætatem poſſent prouiuere; tametſi etiam ipſe naturæ author vitam illis longiorem largiri voluiſſet; tamen vitam eorum abrumpi, vt non dimidient dies ſuos, contra quos orant iniuſtè paſſi, iniuſtéque, à iudicibus, magiſtratibus, aut principibus damnati. Exaudit Deus ſuos: inimicos autem ſuorum *deducit in puteum interitus.* Vnde ſequitur: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Et cur non exaudiret orantes, quemadmodum D. Bernardus vir patientiſsimus alioqui & manſuetiſsimus orauit? Orauit autem ille quoq; his verbis aliquando: *Tuum, Domine IESV, tribunal*

Pſal. 54. 23.

S. Bern.

*appello; tuo me iudicio ſeruo; tibi committo cauſſam meam. Domine Deus Sabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda: cuius oculi, ſicut fallere nolunt, ita falli non poſſunt. itaque arbiter meus, Domine IESV, de vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant æquitatem; videant, & iudicent.* Illi ergo ipſi, quibus amara eſt memoria mortis, qui ſemper in his terris optarent viuere, caueant, ne alios cogant ita orare, & illos ad diuinũ tribunal, ex hac vita, ante terminum & tempus, à natura, ab ipſo alioqui Deo conceſſum, euocare. Eſto iudices, eſto Duces, eſto Principes, eſto Cardinales, eſto Imperatores, eſto ſummi Pontifices ſint: *Tros Rutulusúe fuat, nullo diſcrimine habebit*, qui non perſonas, ſed acta ſolet ad cenſuram vocare, Deus. ep. 1. ad Robertum.

## §. XIV.

### *Quinam maximè formidare debeant, ne illis, coram Numine ſummo, de iure concurrendum ſit?*

Hæc dum ita diſputo, ſcitis, quorum peculiariter animis incidat met⁹ tacitus? Conſcientia ſimilis culpæ, parem exitum formidat. Certè ſi, qui paria antehac auſi ſunt, non habuêre pares citatores; tamen paria

auſuri in metu eſſe debent, ne & illis Deus
iratus vitæ filum incîdat. Quinam ergo ex
hoc cenſu ſunt? Ex enumeratis hiſtorijs id
1. Reg. 14. poſſumus cognoſcere. 1. Qui, Saulis in-
13. ſtar, æmulatus agunt, &, ob virtutis ex-
cellentiam, Dauides ſuos volunt habere oc-
2. Paral. ciſiſſimos. 2. Qui beneficiorum immemo-
24.23. res, ſicut rex Ioas, Zachariam interficiunt
(hoc eſt, eum, qui ab impietate dehorta-
tur) & filios eorum, quorum benignitate i-
2. Mach. pſi viuunt. 3. Antiochi iniqua imperantes,
7.17. & tormentis perdentes eos, qui iniqua exe-
2. Tim. 4. qui recuſant. 4. Alexandri à fide deficien-
15. tes, qui eos violentiſſimè perſequuntur, à
quibus, in fide, & omni genere diſciplina-
rum, ſunt eruditi. 5. Qui Bennoni, qui a-
lijs Eccleſiæ Præſulibus, qui ipſis Eccleſijs
ſua eripiunt, nec verentur, Dei ſeruis cola-
phos infringere, atq; ora illa ſacrilegè con-
tundere, quibus docentur, Deo danda &
reſtituenda, quæ Dei ſunt. 6. Qui Gualte-
ros, qui Robertos, viros doctos, & inno-
centes, in gratiam calumniatorum, & eo-
rum, qui iugum omne legum ac obedien-
tiæ excutientes, quiduis, contra Superio-
res, confingere non verentur, inauditos iu-
dicant, damnant, exauctorant. Apud quos
viliſ-

vilisſimi adulatores plus valent, quàm aliorum ſinceritas & iuſtitia. Qui deniq;, quantum quidem penes illos eſt, notæ alioqui, & probatæ virtutis viros ſepeliunt, vt Troſſulis ſuis locum faciant regnandi. Et ferunt iſti Gualteri æquo animo, quod ferunt: ſepulchro tamen illorum inſcribitur: AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Non poſſunt enim iſti minimè Innocentij, & minimè Clementes iudices à ſe preſſorum, ſine ſtimulo conſcientiæ, meminiſſe: quoties præcipitatæ ſententiæ ſuæ recordantur, vident ab ea AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLARI, damnatúmque innocenter, vel de tenebris ſuis clamare: VENI, MISER, AD IVDICIVM. 7. Agreſtij, qui ipſis mortuis, de quibus bene loquendum eſt, ipſis Diuis non parcunt, & tunc demũ eorũ nomẽ ſubhaſtant, quando ſe iam ampliùs defendere non poſſunt. 8. Qui ipſi Deo nõ ſeruiunt Deoq; ſeruire cupientes, cum Leodienſi Præpoſito, ex ipſis monaſterijs retrahunt. 9. Qui Menuercos religioſam diſciplinam reſtaurare nitentes contumelia affectos reijciunt. Neq; enim, inter ipſos quoq; Religioſos deſunt, qui vadimonijs eiuſcemodi digna perpetrent, vt

Monachi illius exemplo eſt comprobatum. 9. Belli Duces, qui, etſi magnam habent poteſtatem, ac ſæpe etiam ſeueritatis neceſſitatem; tamen ſi homines, tanquam beſtias habeant, ſi pro quouis verbo, arbori infelici milites ſuſpendant; ſcire debent, etiam militum à Deo haberi rationem. 10. Tametſi priuati quoque homines, vti iniurias poſſunt irrogare non priuatas tantùm, ita mereantur ſæpe ad diuinum tribunal inuitari; tamen ſæpius publici iudices, Principes, Reges, & ſumma capita, ob ſummam poteſtatem, ſumma iniuria afficiunt ſubditos; à quibus, cum ad ſuperiorem, in terris, non poſſit prouocari magiſtratum; vltima via eſt, vt ad Deum prouocetur. Hi ergo omnes, niſi iuſtitiam diſcant moniti, quotquot ſubditos indignè opprimunt, tot metuere debent, prouocatores.

§. XV.

*Infami calumnia interfectus innocens, ſummo iure experitur, adeſſe cæleſtem vindictam calumniam falsò iurantibus.*

Kranzius lib. 13. Vandaliæ. c. 2.

Sed placet, coronidis loco, ſubnectere aliud paradigma, quoniam ad hæc tempora peruentum eſt, vt nulla ſufficiant exempla

vitijs dedocendis. Ordinis Teutonici Magiſter, diuerſos ab officio & dignitate mores amplexus, videri caſtus, quàm eſſe malebat. Nomen illi, apud exteros, erat ſplendidum, ſed incluſas eius libidines, qui paulò propiùs accedebant, intuebantur. Quas ipſas tamen vt velo tegeret, amores ſuos, iuueni mercatori conatus eſt in matrimonium dare. Iuuenis honeſtatis amans, quia nolebat coniugem alij communem habere, nuptias excuſauit. Timebat enim ſibi à nuptiarum conciliatore, à quo ſciebat futuram vxorem, eò vſque, inter charas habitam. Repudium hoc, pro exprobratione, interpretatus eſt Dominus, cui inſuper bilem in naſum cōciuit, ſpem ſe mantelúmq; nequitiæ ſuæ tegendæ amiſiſſe. Iuuenis igitur, dum biuiram à ſe amolitur amorésque Principis, odium ſibi parat & exitium. Dum enim tacitè quidē, ſed vehementer tamen, exæſtuat in innocentem, Domini animus, tandem rationem reperit ſeſe vindicandi. Ait eum furem eſſe. Atque vt accuſatio colorem habeat, furti locum, tempus, modum nominat. Inijciuntur iuueni manus, & quia Principi creditur, etiam laqueus. Nec ignorauit Mercator, cauſſam fictam,

in iudicio, explicari, veram occultari; noluit tamen ipſe, quod res erat, promere; ſatis illi fuit, deprecari mortem. Quod ſanè, oratione luculenta, fecit. Et docuit innocentia eloquentiam. Vtque nihil ad artem pertinens deeſſet, etiam lachrymæ acceſſerunt. Sed obſtinauerat Princeps, quem neque oratio flexit, neque fletus emolliuit. Quid faceret iuuenis, hac tam viridi ætate, moriturus? Ad vitæ authorem confugit, ac innocentiæ defenſorem Deum. Iam ducebatur, nec procul à morte aberat, cum repentè Stentorea voce exclamauit: *Iniuriam patior, iniuſtè ſum damnatus. Ad aliud iudicium appello, ad omnipotentis iudicium prouoco: ibi, qui capitalem in me ſententiam tulit, poſt decimam tertiam diem, ſententiæ ſuæ reddat rationem.* Hoc iuuenis fuit teſtamentum, hæc vltima voluntas: immo & verba vltima. Nam mox, collo in reſtim indito, è ſcalis deiectus, pependit. Citationem hanc Teutonicus Magiſter, cum riſu, ſpreuit. At vbi lux tertia decima orbi eſt reddita, repentino morbo obrutus, in has voces erupit: *O me miſerabilem hominem! ecce è vita eycior. Hodie mihi cauſſa dicenda eſt, apud Iudicem omnia ſcientem.* Hoc vltimum dixit,

poſtea

poſtea obmutuit: atq;, vt ſe ſibi vatem fuiſſe oſtenderet, illo adhuc ipſo die, ad diuinum tribunal, ex vita hac eſt exturbatus. Quod ſanè Rigæ, in Liuonia, Anno Christi 1407. euenit. Porrò Sirenula illa, quæ repudio furens, innocentis necem non parum promouit, vt & ipſa Numinis iudicia redderet illuſtriora, ab alio mercatore, de vero furto accuſata, iudicio ſe ſupplicióq; fuga ſubduxit, fortaſſe vt iudicium ſeuerius, ſuppliciúmque æternum ſuſtineret.

## §. XVI.

*Metuendum illis vehementer, ne in ius adire, apud Deum, cogantur, qui alios per calumniam malitiamq́; petunt.*

Quàm crebra eſt iſta magnorum Dominorum praxis? quoties tales ab illis nuptæ ac nuptiæ prodeunt? quàm frequenter illos loco mouent, vitáque priuant, & omnibus fortunis exuunt, qui cum claros eos magis, quàm honeſtos, eſſe nôrint, eorum nequitijs & impuritati cooperari noluerunt? Quot hodiéque viuerent, & eminerent, ſi teterrimi facinoris miniſtri, ſocij, adiutores eſſe voluiſſent? Quàm multi omnia diuina humanáque iura, nouo, inaudito, inexpiabili ſcelere polluunt, nefarióque pa-

triæ ſe parricidio obſtringunt? Quàm doctæ ſunt artes, ad eos vexandos, in litem & iudicia trahendos, bonis fortunisque omnibus ſpoliandos, denique vel carcere, vel mœrore conſumendos, qui iniquiſſimis dominorum ſententijs ſubſcribere detrectarunt? An non iſti metuere debent, eiuſcemodi innocentum prouocationes? an non meritò formidant pænas Deo hominibúsq; meritas debitásq; ſe perſoluturos? architectos conſtituunt, conditiones ponunt, aureos montes promittunt; abſolutis autem & ad faſtigium perductis palacijs, mercedis loco, litigant, & magiſtratui operarios obijciunt, vt non ſolùm nihil expendere illis pecuniarum teneantur; ſed etiam, ob occultum crimen, contra fidem datam, proditum, capite minuantur. An tales ad diuinum tribunal non prouocent? Immo an tales ſummus rerum arbiter non exaudiat?

Iob. 36. 22. *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius? aut quis poteſt ei dicere? operatus es iniquitatem.* Non plectit ſemper extra ordinem? at ſatis eſt, ad metum, plecti meruiſſe.

):o:(

CA-

# CAPVT. VII.

## *Prouocationes ad diuinum tribunal factas, non facilè imitandas eſſe.*

### §. I.

*Non illico omnia imitanda eſſe, quæ de Sanctis, in impiorum terrorem, recenſentur.*

PRolixè demonſtraui, multos pios, ſanctos, innocentes homines, à tyrannis, iniuſtè accuſatos, damnatos, necatos, ad diuinum tribunal, iudices ſuos, non ſine prodigioſo euentu miraculóque, euocauiſſe. Demonſtraui hæc, vt Deum pauperum defenſorem, violentorum iudicem, Sanctorum exauditorem eſſe oſtenderem, atque vt, ex his iuſtiſſimis Dei iudicijs, metum frænúmque inijcerem ijs, qui, quidquid poſſunt, audent. Haud ambigo, nonnulos fore, qui documenta à me aliò deſtinata, aliò deriuent, &, ſi tot exempla legerint Sanctorum, ea, ad imitationem propoſita, eſſe arbitrentur. Itaq; cum plauſu iſta excipient, & ſibi ſummoperè gratulabuntur, de reperto confirmatóque modo ac ratione ſe vindicandi. Quare iam nulla vetula rixabitur; nullus ciuis litigabit; nullus vel ſeruus, vel puer vapulabit, quin

quin illico ad diuinum Tribunal appellet. *Magna otia cæli*, ſi illicò fieri debet, quod petunt impatientes.

## §. II.

### *Cur læſi non facile debeant, ad diuinum tribunal, alios inuitare?*

Meritò iſtis dicitur: *Neſcitis, quid petatis:*
Matt. 20. & illud: *Petitis, & non accipitis: eò quòd ma-*
22. Iac. 4. *lè petatis: vt in concupiſcentijs veſtris inſuma-*
3. *tis.* Nam inprimis, non omnia, quæ diuino inſtinctu Sancti fecerunt, ſunt imitanda. Deinde, quis ſibi ſanctitatem polliceatur? quis non falli poteſt, cum ſe ſe iudicat innocentem? *Nemo, in ſua cauſſa, bonus iudex.* Amor ſui vnumquemque excæcat, vt non videat rectum quod eſt; recteq; ſe putet feciſſe, quando maximè deflexit ab æquitate. Quin & ira iudicium corrumpit, vt iniuriam maximam, iuſtam eſſe vindi-
Pſal. 6. 7. ctam arbitretur. *Turbatus eſt à furore oculus meus*, ait ille. In Hebræo, pro *turbatus*, eſt, *caligauit.* Vbi quidem ſenſus eſt, oculus meus, propter furorem & indignationem meam, contra turpitudinem peccati, à fletu nimio, quaſi corroſus, turbatus eſt, & caligauit: poteſt tamen etiam quiuis furioſus id dicere. Non ſinit enim furor hominem

nem cernere verum. *Nam non poteſt iratus in ſeipſo manere*, ait D. Chryſoſtomus, *ſicut influctus ſurgens mare. Ita cõmiſcentur omnia, &, tanquam fons purus, immiſſo turbatur cæno.* Quod veteres tragœdi, in Aiace flagellifero oſtenderunt. Aiax enim Telamonius, ab Vlyſſe, in iudicio, victus, præ ira, inſaniens pecora occidit, credens ſe Vlyſſem, cum ſocijs, occidere. Itaq; multi iracundia odióque correpti, & velut œſtro perciti, beſtias pro hominibus, homines, pro beſtijs aſpiciunt; & non rarò innocentes iudicant eſſe nocentes. Cum ergo rariſſimè, qui læſi ſunt, non fiant iracundi, facile accidere poteſt, vt alios reos atque iniurioſos exiſtiment, quando ipſi rei ſunt atque iniurioſi. Quàm malè autem iſti ſibi conſulerent, ſi rei ipſi innoxios ad diuinum tribunal, vbi omnia in aperto ſunt, trahere vellent? accuſandi non accuſaturi. Neque enim exiſtimare debent, Dei iudicia, eſſe ſicut ſæpe ſunt iudicia hominum inexpertorum, aut affectibus deditorum, apud quos, *prior tempore, prior iure* eſſe conſueuit; & viciſſe eſt, præueniſſe, quia *fauor eſt primò occupantis*. Non ſic iudicat Deus, cuius ſententia nunquam damnat innocen- S. Chryſ. homil. 62. ad põp.

 tem;

tem, nunquam abſoluit reum præuenientem.

§. III.

*Aliæ cauſſæ, ob quas tutum non eſt, ad Superos iudices appellare; etſi id per ſe illicitum non ſit.*

Tametſi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuiniſque legibus contraria non fuerit: tametſi etiam conſtet, per eiuſcemodi exempla, diuinam mortalibus iuſtitiam innotuiſſe, Principeſq; multos didiciſſe, in ſubditorum ſanguinem nõ eſſe deſæuiendum, neque proculcanda iura: tametſi etiam mentes recti conſciæ atque innocentes roborentur, per talia exempla, vt diuinæ iuſtitiæ fiducia niti aſſueſcant: tametſi etiam prohibita non ſit eiuſcemodi prouocatio, quæ eodem animo, ijſdémque de cauſſis ſuſcipitur, quibus rex Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ animæ; Paulus Apoſtolus, Epiſcopus Benno, alijque eam Sancti vſurpauerunt: quis tamen ſibi polliceri poteſt, non ſolùm eandem, cùm iſtis ſanctitatem, verùm etiam eandem rectitudinem intentionis? Quàm citò ſe inſinuat cupiditas vltionis? quàm facilè ſubrepit odium, aut immoderatus affectus,

fectus, quo ſi prouocatio inquinetur, non aduerſarium, ſed ipſum damnat prouocantem.

§. IV.

*Quando ſit peccatum mortale, alium è vita hac, ad cæleſte tribunal citare; &, cur etiam extra caſus eiuſcemodi, ſit abſtinendum? quidq́ue earum loco vſurpandum?*

Non loquor hîc de illis, qui ſciunt, ſe alios iniuſtè, ad vallem Ioſaphat, vocare, & tamen vel malitia agitati, vel, vt innocentes videantur, citant; quos conſtat, citando mortaliter delinquere; quia & Deum, pro iniquitatis fautore, aut certè ludibrio habent, & proximo grauiter nocent, quem, tanquam innocentiæ oppreſſorem, ſuggillant, ac iniecta vicinæ mortis imaginatione, terrent. Non loquor, inquam, de iſtis tam manifeſtè delinquentibus: de illis loquor, qui ſe ipſos innocentes, aduerſarios iniurioſos, nec iam, in rebus minimis, aut puerilibus, ſed in maximis iniurioſos arbitrantur. His ipſis, aio, admodum eſſe periculoſum, ſi Sanctorum illas citationes velint imitari; cum ipſorum nec comperta ſit ſanctitas; nec certa innocentia; nec iudicium ab errandi periculo liberum; nec ſine

cæco ſui amore affectus; quo tenebras offundente, non poſſunt videre veritatem; ſed vel latentem gloriam, vel tacitam vindictam ſectantur. Habent illi multa alia innocentiæ ſuæ præſidia; habent amicos; habent magiſtratus; habent patrocinium veritatis, quæ ſemper tandem erumpit in lucem: &, ſi hæc deſint, habent aſylum orationis; habent auxilia Diuorum; habent, vno verbo, Deum; qui ait: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et iterum: *Quia iudicabit Dominus populum ſuum.* Illi igitur relinquendum eſt officium iudicandi, diéſq; illa expectanda, non præſcribenda; formidanda, non deſideranda.

Hebr. 10. 30.
Deut. 32. 35.

## §. V.

### *SS. Scripturæ intempeſtiuis appellationibus obnunciantes.*

Qua de cauſſa Amos eiuſcemodi malas appellationes interdicere videtur, cum ait: *Væ deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini iſta, tenebræ & non lux.* Dies Domini, conſueta Scripturæ phraſi, diem iudicij ſeu vniuerſalis & extremi, ſeu ſingularis, quod in morte vniuſcuiuſq; peragitur, deſignat. Eam itaq; diem, in vindictam inimicorum deſiderantibus, *væ* intonat

Amos. 5. 18.

tonat Propheta, qui & addit: *dies Domini iſta tenebræ & non lux*, quia obſcurum miniméque clarum eſt, quando futura ſit; qua enim hora non putabitur *filius hominis veniet*; qui non voluit, eſſe noſtrum, *noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Temerarium igitur eſt, ſine peculiari inſtinctu, aut graui cauſſa, diem certum velle noſſe, &, quod plus eſt, alteri velle dicere ac deſignare, quo ſit iudicandus. In Iudicis, non in actoris arbitrio tempus iudicandi eſt relinquendum. Quod ſe feciſſe Ieremias gloriatur illis verbis: *Ecce, ipſi dicunt ad me: Vbi eſt verbum Domini? veniat. Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectũ in cõſpectu tuo fuit.* Gaudebat ſcilicet in ſinu ſuo, & gratulabatur conſcientiæ ſuę Ieremias, iniquiſſimo regis Sedeciæ odio vinculis & morti addictus, quòd tyranno diem, apud diuinum tribunal, non dixerit, ſed eum libero ſummi Iudicis arbitrio reliquerit iudicandum.

Luc. 12. 40.

Act. 1. 8.

Ierem. 17. 15.

## §. VI.

*Vindicandi animus, qui non neceſſarijs appellationibus ineſſe poteſt, SS. literis aduerſus.*

Ad eandem patientiam nos dirigunt doctrina & exempla Chriſti ac Sanctorũ. Doctrina enim eius non eſt, vt oremus, *Voca ad iudicium, & plecte inimicos noſtros*: ſed: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quo modo dimittit, qui aduerſarium ad iudicem mittit? Non eſt hoc dare veniam, ſed exigere pœnam. Aliud præceptum ſcripſit nobis Magiſter noſter: *Diligite inimicos veſtros*, inquit, *benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Citare illos ad iudicium, non eſt, pro illis, ſed contra illos orare; non illos diligere; non benefacere, ſed velle mori, ſed velle illos iudicari & damnari, ſed velle illis iuſtitiam diuinam immittere, non miſericordiam impetrare. Quod etiam Apoſtolus gentium vetuit illis verbis: *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in inuicem, & in omnes.* Contrarium prorſus faciunt, qui iuſtiſſimam talionis legem exiſtimantes, non bonum pro malo, ſed malum pro malo, dentem pro dente, mortem pro morte red-

Matth. 6. 12.

Matth. 5. 44.

1. Theſſal. 5. 15.

reddere, Paulo reclamante, petunt, formidando Dei decreto, inimicos ſuos è medio tolli, atque ad Tartareos ignes condemnari.

## §. VII.

### *Vindictæ cupiditas, quæ appellationibus eiuſcemodi facilè interuenit, Dei exemplo contraria eſt.*

Si quis exempla vult imitari, habet ſanè exempla, atque in primis ipſius Dei. Quamobrem Chriſtus, cum dixiſſet: *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, *ſtatim exemplum ſubiungens dixit: vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Sedet, in cælis, Deus, & audit quotidie homines ſibi maledicentes, impióſq; diriſſimè conuiciantes ac blaſphemantes; & noua ſemper ſcelera excogitantes, quantúmque in ipſis eſt, giganteo auſu, diuinam maieſtatem è cælo deripere conantes: audit iſta, & videt, & patitur. Quid dico, patitur? cum habeat poteſtatem mittere in gehennam, &, miſſis è nube fulminibus, tales exterminare; ſuſtinet illos, *ſolem ſuum oriri facit* illis, pluuiam mittit, vt terra, ad eos alendos irrigetur: nec hoc tantùm facit,

Matth. 5. 44.

cit, ſed etiam mittit illis angelos ſuos, qui eos in viam, atque ad æternæ gloriæ ſemitam reducant. Pulcherrimè aureũ illud os:
S. Chryſoſt. hom. 78. *At, inquies, calumniam paſſus ſum, & ferre iubes æquanimiter, & quomodo potero? Facillimè profectò, ſi tantùm in cælum reſpicias. Cogita, quòd illic ſuper Cherubim ſedenti factus es ſimilis: nam & ille contumelÿs affectus fuit, & tolerauit, & opprobria pertulit; nec vltus eſt; percuſſus, & non inſurrexit, ſed è contra reddidit beneficia his, qui talia perpetrauerant, nósq; iußit ſuos imitatores eſſe. Cælum deniq; reſpice, & poſtea quæ te Deus ſuſcepturum promiſit, ſi generosè feras.* Chriſti igitur nobis præluxit exemplum, cui, cum vita, per ſummam iniuriam, infami morte, eriperetur, tamen ad alterius vitæ vadimonium neque Iudæos, neque Pilatum, neque carnifices,
1. Petr. 2. 23. neque vllum alium euocauit, ſed *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Latroni quoque paulo priùs con-
Luc. 23. 43. uiciato, non dixit: *Hodie mecum eris in Iudicio*, ſed, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Pro illis autem, qui, non contenti, eum flagris laceraſſe, & clauis in crucem adegiſſe, inſuper etiam ei illudebant, auream illam o-

ratio-

rationem fudit: *Pater, dimitte illis; non enim* Luc. 23.
*ſciunt, quid faciunt.* 34.

## §. VIII.

### *Quàm ſit à Sanctorum exemplis alienum, in-iuſtis vindicÿs ac ſacramentis alÿs iudicium Dei petere?*

Hanc Magiſtri ſui heroicam patientiam ac fortitudinem imitatus eſt aliorum quoq; Sanctorum ingens numerus. Atque primus quidem Stephanus, qui inter lapidantes, pro lapidantibus orans dixit: *Domine, ne* Act. 7.
*ſtatuas illis hoc peccatum.* Deinde & Paulus, 59.
qui de ſe ſcribit: *Optabam ego ipſe anathema* Rom. 9.
*eſſe à Chriſto, pro fratribus meis,* qui in vitam 3.
ipſius obſtinatiſſimè coniurauerant. His è diametro aduerſantur, qui, mortalis vitæ cauſſa, Deum iudicem appellantes, illaudabili verborũ metamorphoſi exclamant: *Ne ignoſce, Pater, ſed iudica, vindica; ſtatuas illis hoc peccatum. Non ſim ego anathema pro fratribus meis, ſed illi pro me ſint anathema.* Neque multi martyres huius appellationis ius vſurpare ſolebant, licet innocentiſſimè, crudeliſſiméq; occiderentur. Quin potiùs, poſt acceptam iniquiſſimæ mortis ſententiam ſolennes eorum voces erant, vt exclamarent: DEO GRATIAS, quod di-

Iuſtin. Apolog. 1. Tertullian. ad Scapulã.

ſertè teſtatur Iuſtinus; & perſpicuum eſt ex vita S. Cypriani; atque antiquiſſimo Tertulliano atteſtante, *Chriſtianos magis damnatos, quàm abſolutos gaudere.* Quia, in veteri quoque Teſtamento, Ioſeph in ciſternam, Ieremias in cœni, Daniel in leonum lacum, tres pueri in fornacem inflammatiſſimam miſſi, cum vtiq; de vita eorum innocentiſſima eripienda ageretur, tamen non leguntur, vel fratres, vel tyrannos, vel carnifices, ad diuinum tribunal, citauiſſe; & tamen iuſtus iudex Ioſepho fratres ſubiecit, Ieremiam è cæno eduxit; Danielis aduerſarios leonibus præbuit deuorandos; trium puerorum lictores, flamma è fornace in illos excuſſa, vſtulauit.

## §. IX.

*Peccato proximum eſſe, ſi non eſt in peccato, quisquis eiuſcemodi iudicijs vult peccatum, in altero, ſine iuſta cauſſa, vindicari.*

Quid ſi multos idcirco ad extrema adducit malus ſathan, vt ad impatientiam atque vindictam adducat? vicit, ſi impatientes fecit. deiecit, ſi in vindictam incendit. habet, quod vult, ſi tu iram tuam ampliùs in poteſta-

teſtate non habes. At *turpis eſt nauigij rector*, inquit Seneca, *cui gubernacula fluctus eripuit; qui fluctuantia vela deſeruit, & permiſit tempeſtati nauem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare, clauum tenentem, & obnixum.* Clauus eſt recta ratio, quæ impatientis animi impetum & fluctus reprimere debet. Non reprimit autem, ſi iniuriarum ac mortis impatientiâ, extremum iudicij diem præuenire geſtiens, eouſque præſtolari detrectat, donec vltro Deus, de iniurijs eius vindictam ſumat; quaſi ſcilicet æquo tardior eſſet ad iudicandum. Hi, ſi ſinum excutere penitiùs vellent, viderent profectò, non laudabili cauſſa, non diuini honoris aut iuſtitiæ zelo, ſe alios iubere, in ius ambulare; ſed priuatæ vindictæ cupiditate occupatos, atque in præceps actos, præreptam ſibi, in hac vita, iniuriarum vltionem, in alterius vitæ tribunali quærere, eámque, nimis incenſo animo, affectare, eáque propter etiam intemperanter flagitare. Non eſt res exigui momenti, eiuſcemodi actionem inſtituere. Qui alterum vadatur, ac in ius diuinum vocat, mortem illius deſiderat, ſine qua ſe ſiſtere non poteſt. At mortem alterius, priuata authoritate,

Senec. ad Martiam. c. 6.

ritate, deſiderare, non minùs illicitum eſt, atq; procurare. Videant igitur, quid agant, qui, ſine Numinis iuſſu, aut inſtinctu, ſine authoritate debita, ꝓprio iudicio, affectu, odio, fortaſſe ipſi nocentiores, alterum, à quo ſe læſos eſſe ſomniant, aut putant, vita optant, immo poſtulant à Deo ſpoliari. Neque digni ſunt tales rogatores, vt exaudiantur; immo digni ſunt, vt ipſi in iudicium eant, quod alijs volunt præparare.

## §. X.

*Etſi vindictam innocentes non petant, non tamen idcirco ſecuros eſſe oportere innocentum oppreſſores.*

Sapientiſſimè faciunt, qui in patientia ſua animas ſuas poſſidere docti, in omni ca-
Pſal. 38. 8. ſu, & tribulatione, dicunt: *Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus?* Meum eſt remittere iniurias, Domini autem & remittentem, & inferentem iudicare; à quo, etiam me vindictam non petente, parata eſt,
Hebr. 10. 27. *terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ conſumtura eſt aduerſarios.* Hãc etſi petere non debemus, poſſunt tamen meritò formidare, qui, cum omnia audeant, ſe, quia grauiſſimè violatos tacere vident, illico ſecuros arbitrantur. Tacuit & Abel,

neque ad diuinum tribunal fratrem citauit, cum ab eo crudeliſſimè innocens trucidaretur; non tacuit tamen ſanguis eius, qui ad Deum de terra clamauit. Neque enim verba tantùm, ſed etiam facta ad Deum clamant; longéque potentiùs clamant, ac vindictam poſtulant. Neque dubium eſt, à viuis & mortuis, viuos oppreſſores eorũ, ante diuinum tribunal, etiam ſine voce, accuſari; neque rarò etiam, ad cauſſam, coram ſupremo, diſceptandam citari, iniurijs ipſis exigentibus vindictam. Gen. 4. 10.

§. XI.

*Iniurijs ipſis vindictam de cælo poſtulantibus, Deum vindicem habere illum, qui, exemplo Sidonij Apollinaris, vindictam nullam expetit.*

Cui rei confirmandæ luculentus eſt teſtis D. Gregorius Turonenſis, qui hanc hiſtoriã recitat. Aruernenſis Epiſcopus, cui nomen Sidonius Apollinaris, æquè ſanctus ac eruditus, moribus & artibus præſtans, vt coronas in cælo multiplicaret, virtutis mercedem, in terris, accepit tribulationes. Neceſſe enim eſt, vt virtutem oderint vitiorum amatores; quam ne cogantur amplecti, impugnant atque repellunt. Quam ob cauſ- S. Greg. Turon. l. 2. hiſt. Franc. c. 23. & Baronius An. 486.

cauſ-

cauſſam, Sidonius quoque duos nactus eſt ſacerdotes diſciplina indigentes, quorum quotidianus ſermo erat: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Quid non efficiunt duo conſpiratores? immo quid Orcus, per illos non efficit? Duo erant, ſed tribus Furijs agitabantur. Nam & moniti vindictam ſpirabant; & caſtigationem metuentes conabantur amoliri correctorem; & denique ambitione inflammati, locum ſperabant, ſi ſedem vacuam feciſſent. Hinc conuenticula, hinc cõciliabula, hinc denique vis aperta, qua virum innocentiſſimum & magiſtratu digniſſimum, omni ſacra poteſtate priuatum ad vltima redegerunt. Siquidem vix tantum cibi præbuerunt afflicto, vt vitam ſuſtentare poſſet, & vixiſſe mallet, quàm viuere. Sidonius, tamen, etſi grauibus malis irritatus, & cauſſæ æquitate fultus, iniuriam laudabiliùs tolerari, quàm propulſari ratus, quaſi non ſentiret, aut, tanquam ſi meruiſſet, ita patienter omnia tulit. Itaque non expoſtulare, non implorare amicos, non circumſpicere patronos, non certare

Sap. 2. 12.

tare

tare foro, non recuperare amiſſam dignitatem voluit; ſed omnia Deo commiſit iudicijsq́; diuinis, ſine quibus Mundus non gubernatur. Felix, quiſquis hoc facere nouit; nec enim magnam duntaxat is animo ſuo conciliat tranquillitatem; ſed etiam, quia ſe ipſum non vindicat, Deum vindicem parat. Quod & Sidonio euenit. Conuenerat inter improbos duos ſacerdotes, vt die altera, Epiſcopum è templo extractum eliminarent; idque vnus eorum audacior, ac ſine fronte homo palàm ei minitari non eſt veritus. Et feciſſet, ni diuina manus præueniſſet inſanientem. Tota nocte, futuram ſequentis lucis ſcenam ſecum meditatus, vix expectare potuit ſolem orientem. Neque expectauit; nam, ante diluculum, ſecus atq; aliàs aſſueuerat, è plumis exiliens ad facinus ſe aptabat. Verùm priuſquam domo exiret, *ſellas antè petijt Patroclianas*, & comitabatur euntem puer cum lucerna. Ibi dum moratur diutiùs, mittit coniuratus alter, facinoris tam iniqui ſocius, & ſignificari iubet, tempus eſſe exequendi, cuius heri conſilium cepiſſent: nihil obſtaculi apparere, properaret modò. Ventum eſt ad puerum iam diu, cum cereo vſ-

que

que ad impatientiã & Diras, præſtolantem. Is ergo herum moniturus (cum pulſanti nihil reſponſum intus eſſet) ianuam tandem reſerat, & reperit miſerum vnà & aluum, & vitam exonerauiſſe. Tali loco, mori dignus erat, qui Epiſcopum loco mouit. Epiſcopus igitur, Deo cauſſam ipſius agente, in officium repoſitus eſt. Non diu tamen poſtea vehementius ægrotans iuſſit ſe in templum deportari. Ibi mœſtus eum populus interrogauit; quiſnam eſſet ſucceſſurus, in officio paſtoris? cui ille; *Ecce*, inquit, *frater meus Aprunculus viuit; & hic paſtoris munus occupabit*. Hoc reſponſum, quia non capiebant, mente iam alienata, prolatum exiſtimabant; ſed paulo poſt, vaticinium fuiſſe, intellexerunt. Quippe Sidonio è viuis ſubducto; alter ille ſacerdos perſecutor, nihil miſerabili exitu commilitonis ſui perterritus; velut optatiſſima occaſione oblata, cui diu fuerat inſidiatus, gauiſus, triumphum egit, tiarámque capiti ſuo rapere eſt conatus. Nec quidquam certius futurum exiſtimauit, quàm vt ipſe ſuccederet. Enimuerò id iam ei familiares gratulabantur; id de eo, in vulgus ſpargebant; id ipſe quoque (tam ſtolida eſt ſuperborum credulitas)

ami-

amicioribus ſuis dictitabat, neque iam pro arcano habebat; ſed auſus eſt etiam perquã glorianter iactare: Nunc demum, diuino iudicio, patere, cuius cauſſa iuſtior extiterit, ſuáne, an Sidonij; aut cui, à Deo, pedum Pontificale ſit deſtinatum. Deniq; ita egit, ac ſi Antiſtes iam eſſet, nec quidquam omiſit, quod eam in rem illi poſſet ſeruire. Quare proximo quoque, à Sidonij morte, Dominico die, dapes magnificas apparauit, ad quas ciuitatis primates adhibuit. O cæcas hominum mentes! & futurorum improuidas! quàm ſæpe exitio proximi exultant, & funus ſuum ipſi ducunt ouantes? Deſignatum Præſulem ad menſam accubuiſſe putatis? Balthaſſar accubuit, *appenſus in ſtatera, & inuentus minus habens.* Dan. 5. 27. Sedebat ſuo quiſque ordine; ſtabant in ferculis alites; & cibi nõ ad palatum modò, ſed etiam ad oculum facti; iam gliſcebant colloquia; iam ſitis vinũ poſtulabat. Ante omnes, vt par erat, futuro Epiſcopo pocillator ſcyphum præbuit; quem ille manu ſuſtinens meditabatur, in cuius ſanitatem eſſet propinandus. Nunquam mors malis opportuna venit; ſed; inter conuiuia & epulas, longè im-

portuniſſima. Itaque non iam mitræ, ſed Libitinæ candidatus, dum poculum tollit, dum ei nomen imponit, ſentit repentè, quàm verè dictum ſit; multa inter calicem & ſuprema labra cadere: nam & ille ipſe cecidit, & priùs è Letheo, quàm ſuo; poculo bibit. Siquidem iam iam vinum probaturus, ſubita formidine, cohorruit, expalluit, & vitro de manu cadente, funus fuit. Noluit poſtea ſic propinanti quiſquã reſpondere. Hæc omnia, ita vti contigerunt, pridie pocillatori per ſomnium obiecta narrat Gregorius Turonenſis. Quis non videat iniuriæ patientiſſimi Sidonij vindicem fuiſſe Deum? ad quem, Sidonio tacente, vel iniuria Sidonij ſatis clarè appellauit; quæ iniurioſorum vnum quidem præmiſit, alterum verò, poſt Præſulis mortem, ad iudicium traxit; vt manifeſtum fieret, Deum ante, & poſt obitum, ſuorum iniurias vlciſci.

## §. XII.

*Exemplo Nantini, multos, etiam non citatos, in hac vita, ad tribunal tamen Dei, vel à mortuis citari.*

Sed Sidonius tacens vltorem Deum inuenit, innumeri, qui in vita quidem tacent, poſt

